

Le texte proposé ici a, pour source, deux éditions : celle établie par Petro Scrivero et imprimée, à Leyde, en 1619, chez Jacob Marcus et celle, plus tardive, parue, dans la même ville, chez Samuel et Johannes Luchtmans.

JOANNIS NICOLAI SECUNDI JULIA, MONOBIBLOS.

ELEGIARUM LIBER PRIMUS.

ELEGIA I

El_1 v.1 Pierides alius dira inter bella cruentet,
 2 vulneraque ingeminet saeva, necesque virum,
 3 nos Puerum sancta volucrem cum Matre canamus,
 4 spargentem tenera tela proterva manu.
 5 Sic ego : sic fanti radiantibus adstitit alis,
 6 cum face cum cornu, cum jaculisque Puer,
 7 fallor ? An ardentes acuebat cote sagittas ?
 8 Anxius in vultu jam mihi pallor erat.
 9 Parce tuum, dixi, ferro terrere poetam,
 10 castra parat dudum qui tua sponte sequi,
 11 imperiumque potens, et regna patentia late,
 12 quae te spumigena cum genitrice colunt :
 13 carmine vocali patrias resonare per urbes
 14 aggreditur : tuus est ; laedere parce tuum.
 15 Ille nihil motus, lunato fervidus arcu,
 16 "Accipe quae, dixit, multa diuque canas,
 17 et non ignotae celebra nunc robora dextrae ;
 18 formaque quid valeat disce decentis herae."
 19 Vix ea personuit, sonuit simul arcus, et una
 20 cum jaculo in venas sensimus isse Deum.

ELEGIA II

El_2 v.1 Cum nova nascenti nerent mihi fata Sorores,
 2 ducentes fuis stammina tortilibus,
 3 aureolis Puer allapsus Cythereius alis
 4 dixit : "In hoc puero sint mea jura mihi ;
 5 fata canam vates, sacris absistite cunis,
 6 arbitrio vivat deficiatque meo."
 7 Nec mora ; procumbens sinuosum curvus in arcum,

8 si parere negent, spicula dura parat.
 9 Parent, et Puerum Divae venerantur. At ille,
 10 demulcens tenera stamina dira manu,
 11 risit, et "Alcides specta haec fortissime, dixit,
 12 et pudor antiquae cedat ab ore notae."
 13 Verba deinde levi recinebat blaesa susurro,
 14 qualis in arboreis sibilat aura comis,
 15 non equidem audivi ; nutrix audisse putatur,
 16 et longum gelido diriguisse metu :
 17 "Parve, sub ignoti lumen spirabile caeli
 18 edite, cura Deum nostraque cura, puer ;
 19 parve puer, nostris mox sudature sub armis,
 20 haec praecepta meae suscipe militiae :
 21 cum tibi vernantes aetas exsurget in annos,
 22 curre lubens dominae mite sub imperium.
 23 Haec tibi continget, thalamis quae digna Deorum
 24 divum te nitidis anteferet thalamis ;
 25 quae tibi postponet quidquid legit India rubro
 26 gurgite, felici gramine quidquid Arabs,
 27 quaeque tibi gemmis et regum carior auro,
 28 ingenio vivax surget in astra tuo,
 29 Castalioque tibi promens argentea fonte
 30 pocula, formosa porriget ipsa manu.
 31 Illius e claris me saepe stupebis ocellis,
 32 vibrantem occultas in tua corda faces,
 33 spicula stringentem tacito letalia nervo,
 34 ut venit ignota fulminis ira via.
 35 Parve, quid, heu, lacrimis infantia lumina turgent ?
 36 Et concussa tremens horror in ora venit ?
 37 Tempus in haec aliud, puer o dulcissime, differ,
 38 cum tibi tot causae, cur lacrimeris, erunt,
 39 quotve sub arboribus primis aquilonibus anni
 40 flavet deciduis tristis ager foliis ;
 41 quotve per excultos hortos in vere rubenti
 42 decussis Zephyro floribus albet humus.
 43 Sed tam nil durum, quod non tolerantia vincat,
 44 et magnum afflictis mentibus ingenium.
 45 Victa soporatum dabit in tua brachia collum,
 46 collaque languenti cinget amata manu,
 47 osculaque et quidquid superest post oscula dulce
 48 noctibus in longis continuabit amans.
 49 Ergo jucundo patiens insiste labori,
 50 nec malus in portu desere nauta ratem.
 51 Vulnificisque emissum oculis haurire venenum,
 52 alternasque oculis disce movere faces.
 53 Disce gradum mediis suspensum ferre tenebris,
 54 et per dilectas ire redire vias.
 55 Et rigidos cithara postes mollire per umbram,
 56 sertaque cantatis addere cardinibus,
 57 dum nocturna tibi demulserit aura calorem,
 58 et matutinae collacrimantur aves.
 59 Disce levi varias nutu conferre loquelas,
 60 disce verecunda voce diserta loqui :
 61 qualia me docuit, per me tamen ante peritus,
 62 Naso, Tomitana von tumulandus humo ;
 63 quem mihi rectorem lascivos Mater ad annos

64 legerat, effrenae conscia nequitiae.
 65 Ille quidem famam Pelignis auxit amando ;
 66 tu quoque cum Belgis non inhonorus eris.
 67 Nec te longa premet caligo mortis opacae,
 68 nec teret obscuro te vetus urna loco.
 69 Quae fax ante tuis stridebit inusta medullis,
 70 haec, faciam, cineres luceat ante tuos.
 71 Tu modo semper ama, nec te taedebit amorum,
 72 dulcius his nostri nil habet aula Jovis
 73 saepe quidem infensus nostris fuit ille sagittis,
 74 et, memini, nuper dira minatus erat,
 75 arcumque et pharetram fregisset : at optima Mater
 76 nostra sub arbustis condidit arma Paphi.
 77 Mox tamen ille ferox ter mille per oscula supplex
 78 oravit de me vulnus habere novum
 79 quid Tyrius sine amore torus ? Quid mensa Falerno
 80 uda ? Quid auratis nixa domus trabibus ?
 81 Quid juvat Assyriis io odoribus elanguentem
 82 seu sopor ad citharas seu leve murmur aquae ?
 83 Omnia nil sine amore juvant : sub amore secundo,
 84 et sopor in dura blandus humo trahitur ;
 85 omnis et Assyrium tellus adspirat amomum,
 86 et vincunt humiles tecta superba casae.
 87 Nil tibi sit terrae tractus aut dicere caeli,
 88 Tethyos aut tumidas rauca sonantis aquas,
 89 quidve per Occasum, quid signent astra per Ortum,
 90 quaeque tenent medium summa vel ima locum,
 91 seu cantare tui victricia Caesaris arma,
 92 progenies Matris sit licet ille meae ;
 93 sed faciles Elegos lento deducere versu,
 94 qui valeant nostram vincere mollitiem.
 95 Tunc ego te, croceis evectum ad sidera pennis,
 96 Parnassi sistam culmine conspicuum :
 97 quem tibi si Paeon, simul et suaserta negabit,
 98 monte Cytheriaco myrtea sertageres.
 99 Haec ter Amor cecinit : Parcae assensere canenti.
 100 At Venus excelso risit ab Idalio ;
 101 et natum miti venientem fovit in umbra,
 102 quaque odor e nardo, quaque odor e casia,
 103 eque rosa Zephyri vitales imbuit auras ;
 104 gramen et irriguas palpitat inter aquas.

ELEGIA III

E1_3 v.1 Si quis erit juvenum, dominae qui turpe putabit
 2 vincula in ingenuo pectore serva pati,
 3 ille quidem certe, quid sit Venus ignea, nescit,
 4 et nondum veris incaluit facibus.
 5 Illius obriguit glaciali frigore pectus,
 6 qui tam dulce pati servitium renuit.
 7 Si deformis erit, cujus tolerare recuses
 8 jura : fero, tecum nec mihi pugna venit.
 9 Sin cui dona dedit formae Cytherea potentis,
 10 ferreus es, si non hanc patienter ames.
 11 Non onerosa mihi, non est formosa pudori.

12 Formosas dominas Jupiter ipse tulit.
 13 Heu, heu, quam mea me caeca face Julia torret !
 14 Non sic assiduis ignibus Aetna calet,
 15 nec tanto venas consumitur aridus aestu
 16 mole sub Aetnaea conditus Enceladus.
 17 Sic agitur primo juvenis furibundus in igne,
 18 cui jecur ignoto laesit Amor jaculo.
 19 Nos tamen hanc lente, cum sit formosa, feramus,
 20 et demus victas vincla sub arta manus.
 21 Scilicet est aliquid, specioso carcere claudi,
 22 et juvat, aurata compede posse premi.
 23 Illa mihi leges victrix praescribat, et in me
 24 regia formosis scepra gerat manibus.
 25 Illius imperio ventos patiemur et imbres,
 26 ibimus et solas nocte silente vias.
 27 Nec grave frigus erit, nec solstitium, licet in me
 28 fervidus ingeminet sidera sicca Puer.
 29 Illa volet comitem sibi me quocumque, sequemur,
 30 qua via nulla rotae pervia, nulla rati.
 31 Illa meas torret, sed torreat usque, medullas ;
 32 prompta tibi sint haec spicula, sancte Puer.
 33 Nec mihi deficiat calor hic hiemantibus annis,
 34 nec me cum tenebris obruet atra dies ;
 35 tunc detur tremulis illam manibus complectar,
 36 et fugientem inter basia fundam animam ;
 37 quae tunc purpureis labris remorata resistet
 38 forsitan, et inceptum laeta redibit iter ;
 39 spernet et Elysias sedes, vallemque beatam,
 40 prae tam mellitae basiolis dominae.

ELEGIA IV

E1_4 v.1 Maius alit frondes, Maio sine fronde virenti
 2 ire nefas ; mos hoc, lux mea, priscus habet.
 3 Ergo, age, certemus : tibi, me sine fronde reperto,
 4 munus, quod niveum pectus adornet, erit.
 5 Corporis o felix illa quod sede fruatur,
 6 cujus ab adspectu gaudia mille fero.
 7 At tibi lex haec sit, folii viridantis ut orba
 8 oscula cogaris mox dare pauca mihi.
 9 Oscula, quae possint fugientem sistere vitam,
 10 restet ubi nullis spes medicaminibus,
 11 pallidulamque animam Stygiae subducere lincti,
 12 in non concessas et revocare vias.
 13 Sic ego : depresso sic lux mea retulit ore
 14 pauca, sed argutis multa loquens oculis :
 15 basiaque, et, mea quo jurabis basia vinci,
 16 accipies aliquid, si modo victor eris.
 17 Dixit ; et os avidum roseo mihi molliter ore
 18 pressit, et "Hoc cape nunc, cetera victor", ait.
 19 Victor ero certe, nec opem, Cytherea, negabis,
 20 si tua, si nati numina sancta colo.
 21 Tunc ego lascivae potero contendere viti,
 22 quae se vicinis implicat arboribus ;
 23 nec me hederarum varius superabit in ilice nodus,

24 brachia erunt collo sic mea nexa meae.
 25 At vos, purpurei reges, ignoscite victi,
 26 risus erunt vestrae tunc mihi divitiae.

ELEGIA V

E1_5 v.1 Una meas igitur versabit femina curas ?
 2 Unaque mi risus, unaque fletus erit ?
 3 Una mihi dulces facies moderabitur annos,
 4 quos mihi Persephone non volet esse diu ?
 5 Nam seu dura meos illa aversabitur ignes,
 6 seu facilem sese dat mihi, morte premor.
 7 Nec mihi vita potest duci sub amore sinistro,
 8 inter mortales nec locus esse Deo.
 9 Sed potius moriar te te, mea vita, tenendo ;
 10 10 inque tuos humeros funera nostra cadant,
 11 11 funera de tereti melius pendentia collo,
 12 12 quam si sublimi de trabe nexa forent,
 13 13 qualis Anaxaretes fastum puer ultus amarum
 14 14 flebile curvata fauce pependit onus.
 15 15 Exitus aut sic est, aut sic sperandus amanti.
 16 16 O natum tristi sidere, quisquis amat !
 17 17 Sed tamen in melius haec omina tristia vertent
 18 18 lumina, sidereis quae mihi pro facibus,
 19 19 adspectu laeto, torva seu luce, negantque,
 20 20 dantque frui vita, dantque vegantque mori.
 21 21 Quaeso, negate mori, vitam date, lumina, quaeso :
 22 22 non sum, de cuius morte triumphus eat.
 23 23 Labra columbatim committe corallina labris,
 24 24 nec vacet officio linguave densve suo.
 25 25 Et mihi da centum, da mitia basia mille ;
 26 26 da super hoc aliquid, lux mea ; numen ero.
 27 27 Nec super haec aliquid, nec vis dare basia pauca,
 28 28 labra nec humidulis continuare labris,
 29 29 notaque nec dentis, nec sunt tibi proelia linguae,
 30 30 exsuperas Latias et tamen ore nurus.
 31 31 Quas superas facie, jam jam superabis et arte,
 32 32 dent modo Di nostris versibus esse fidem.
 33 33 Nos neque Chaonii vincet lascivia nidi,
 34 34 nec Jovis omnivoli deliciosus amor.
 35 35 Nam tibi quid prosit faciem corrumpere rugis ?
 36 36 Haec venient fronti, nec mora longa, tuae
 37 37 quidve superciliis oculos onerare nitentes ?
 38 38 Nec tota nigras spargere fronte coma ?
 39 39 Tempus erit, cariosa specu cum lumina condes,
 40 40 canus et in gelido vertice crinis erit.
 41 41 Tunc frustra labris pallentibus oscula quaeres,
 42 42 atque aliquem obtusis figere luminibus.
 43 43 Nulla corona tuos ornabit florida postes,
 44 44 cantabit muto limine nullus amans.
 45 45 Quin potius dum fata sinunt, et nigra Sororum
 46 46 stamina, verque viret nobile, carpe rosas :
 47 47 quae nisi carpentur, languerunt sponte, cadentque,
 48 48 et stabit lapsis spina inhonora rosis.
 49 49 En tibi, qui tecum redolentia munera carpet,

50 tecum florentes et parat ire vias.
 51 Sparsa Dionaeo viridaria rore teremus,
 52 visemusque hortos, Flora decora, tuos.
 53 Illic et violas et purpureos narcissos
 54 decerpes teneris molliter unguiculis.
 55 Ipse tibi nectam vario de flore corollas,
 56 imponamque tuis, Julia, temporibus,
 57 jamque sub umbrosa recubabis languida myrto,
 58 et modo me celeri laeta sequere pede.
 59 Jamque colorata provolvar lentus in herba,
 60 et modo te celerem per loca laeta sequar.
 61 Interea has flammam si duplicarit eunti
 62 invidus aurata Cynthus e specula,
 63 tu tu sola meis jucunda caloribus aura,
 64 humida de roseis flamina funde labris,
 65 quae suscepta mei fornacibus oris anhelis
 66 usque sub ambusti pectoris ima meent,
 67 restinguantque rogam, quem nec vaga flumina terrae,
 68 tota nec exhausti frigeret unda maris.
 69 Lumina cui servas aurum jaculantia purum ?
 70 Cui teretes digitos, artificemque pedem ?
 71 Fascia lacteolis cui stat distenta papillis ?
 72 Cui risus et evi mollia verba paras ?
 73 Cujus dispositus nutritur crinis in usum ?
 74 Oscula felicitis cujus erunt domini ?
 75 Ilicet, ingrato servaveris omnia nautae,
 76 Lethaeam veteri qui rate verret aquam :
 77 hujus ab amplexu venies ad basia Ditis,
 78 maxima tergeminae cura timorque Deae.
 79 In te turba ruent aevi violenta prioris,
 80 luminibusque cavis, pallidulisque genis,
 81 et Paris et Theseus et non bene fidus Iason ;
 82 haec veniet formae maxima fama tuae.
 83 Quare ne tibi sit tanti regalibus umbris
 84 posse frui, ut vivus sim tibi : vilis ego.
 85 Te juvet in nostris positam languere lacertis,
 86 me juvet in gremio, vita, cubare tuo,
 87 et cum suaviolis animam deponere nostris,
 88 eque tuis animam sugere suaviolis,
 89 sive meam, lux, sive tuam ; sed sit tua, malim,
 90 ipse tuo ut spirem pectore, tuque meo.
 91 Tali vernantem satiemus amore juventam :
 92 Mors venit aeterna cincta caput nebula.
 93 At vos, qui, juvenes, suspiria nostra notatis
 94 et fractos oculos et sine mente gradum,
 95 ebria ridentes nullo cum pondere verba,
 96 et si quis subito venit in ora color,
 97 postmodo dicetis : non infeliciter arsit ;
 98 praemia cum nostri nota laboris erunt.

ELEGIA VI

El_6 v.1 Nunc mihi Praxitelis digiti, nunc Mentoris essent,
 2 nunc Lysippaeae, Phidiacaeque manus !
 3 Julia namque meo sculpi cupit aurea caelo,

4 nec tantum in libris nomen habere meis.
 5 Non ego sum, fateor, caelestem effingere formam
 6 qui valeam ; at dominae spernere jussa nefas.
 7 Non ego te, mea lux, faciam de marmore duro ;
 8 illa decet rigidum materies animum.
 9 Quin et caela tuos formabunt aurea vultus ;
 10 non facit ad molles ferrea lima genas.
 11 Jam jam fama meis major venit artibus ; ipsam
 12 sculperem mi videor caelicolam Venerem.
 13 Sed dum te video, et propius tua lumina specto,
 14 aemula Phoebis lumina luminibus,
 15 ferre negant oculi jaculentem spicula vultum,
 16 caelaque nota negat languida ferre manus.
 17 Deficit et torpet, nec jam sibi conscius artis
 18 ullius est animus, nec memor ipse sui.
 19 Ah ! Nulli fas est mortali effingere Divas.
 20 Mens cadit : obstueto, heu ! Et mihi surripior !

ELEGIA VII

E1_7 v.1 Insidiose Puer, maternis saevior undis,
 2 hacne tuus vates fraude petendus eram ?
 3 Tu quia jussisti, numeris levioribus irem,
 4 assumpsi faciles ad tua jussa modos.
 5 Materiesque mihi curvato venit ab arcu
 6 longa, sub undenos digna venire pedes,
 7 vix opus incepti ; dominam, Puer improbe, tollis,
 8 ducis et externas in mea regna manus.
 9 Et nunc ille venit diversa rusticus urbe,
 10 praetendens sancti foedera conjugii,
 11 scilicet ut diris faciat sponsalia verbis.
 12 Impediant illi picus et anguis iter,
 13 et cornix inimica viis, et limine primo
 14 sentiat offensi signa sinistra pedis !
 15 Quae si non possunt illum terrere, quod opto,
 16 accipiat Divi quod monuere malum !
 17 Subque rota ponat odiosam in pulvere vitam,
 18 multaque projecti viscera carpat avis.
 19 Aut mergatur aquis et monstra natantia pascat
 20 quanta Deo pelagi tunc ego dona feram !
 21 Sic nec in amplexus veniet, nec in oscula nostra
 22 improbus, et sceleris gaudia nulla feret.
 23 Et juvenes alios violenta sorte monebit,
 24 vatum deliciis non temerare manus
 25 at tu, sive tuos ignes transmittis in illum,
 26 Julia sive magis te tua fata trahunt,
 27 infelix nimis, et querulo mihi carmine flenda es,
 28 cogaris ignoto quae comes ire viro,
 29 et te captivis hominum miscere catervis,
 30 eque brevi verbo ferre perenne malum.
 31 Ah, poteris, lux, ah, poteris jus dicere nobis,
 32 oreque formoso regia verba loqui,
 33 inque meo versu sublimia regna tenere,
 34 prima fidis nostrae gloria, serus honos.
 35 Inque puellarum, quas olim carmine vates

36 laudavere pii, nomen habere choro.
 37 Qualis quae falso Nasoni dicta Corinna est,
 38 Deliaque et Nemesis, et bene culta comam
 39 Cynthia, forma potens, nec non tua, Galle, Lycoris,
 40 quarum immortalis forma perenne viret.
 41 Digna quoque haec facies, quae carmine longa videret
 42 saecla, nec in cineres omnis abiret, erat.
 43 Ut sciret nostros aetas ventura furores,
 44 et tam formosam non violasse fidem :
 45 et culti juvenes, non incomptaeque puellae,
 46 expertae dulcem militiam Veneris,
 47 myrteaserta tuo ferrent violasque sepulcro,
 48 diceret atque aliquis : "Sit tibi terra levis."
 49 Et poterant aliquid nostrae praestare Camenae,
 50 fata nisi obstarent, et male faustus Hymen.
 51 Non, quia Virgilio primos concessit honores
 52 posteritas, Flacci spreuit iniqua lyram :
 53 aut male rejecit, quem protulit Umbria, vatem,
 54 sola cui longum Cynthia carmen erat.
 55 Peligni vivent opera ingeniosa poetae,
 56 rectorem nato quem Venus ipsa dedit.
 57 Nec te longa dies delebit, culte Tibulle,
 58 ignibus atque arcu dum potietur Amor.
 59 Nostra quoque, adveniens si non his inseret aetas,
 60 (quod sperare pudor sit mihi, sitque nefas.)
 61 Non tamen obscura damnabit nomina nocte.
 62 Fallor, an hoc olim mi dea pollicita est,
 63 fragrantem quae nexa comam, myrtoque decora
 64 vadit inaequali conspicienda pede ?
 65 Quam bene priscorum currebat vita parentum,
 66 ingenuae Veneris libera sacra colens !
 67 Nondum conjugii nomen servile patebat,
 68 nec fuerat Divis adnumeratus Hymen.
 69 Passim communes exercebantur amores
 70 omnibus, et proprii nescius orbis erat.
 71 Ense maritali nemo confossus adulter
 72 purpureo Stygias sanguine tinxit aquas.
 73 Anxia non tenuit custodis cura puellam,
 74 nulla erat invisis clausa domus foribus ;
 75 nec sacer agricolis stabat lapis arbiter agro,
 76 trabsque procellosum nulla secabat iter.
 77 At postquam domibusque fores, foribusque subivit
 78 clavis, et aequoreas navita spreuit aquas,
 79 non dubitans animam tenui concredere ligno,
 80 externas fragili puppe secutus opes,
 81 discretique novo jacuerunt limite campi,
 82 indixit leges et sibi quisque novas ;
 83 scilicet ex illo sensit fera jura, jacetque
 84 clausa pedem dura compede serva Venus.
 85 Mortales, sceleri leges praescribite vestro,
 86 innocuam vinclis nec cohibete Deam.
 87 An, quia Lemniacis semel est elusa catenis,
 88 digna erat a vobis quae graviora ferat ?
 89 Tempora, si fas est, iterum primaeva redite,
 90 falciferoque iterum sub sene mundus eat.
 91 Inscia tunc rastri, tunc vomeris inscia curvi,

92 sponte sua segetem terra benigna feret,
 93 et repetent iterum desertas numina terras,
 94 et fruar o longum tutus amore meo.
 95 Interea, qui falce meas invadere messes
 96 ausus es, ut voto jam potiare tuo,
 97 assiduis versuta dolis te rideat illa,
 98 nec tibi componat se, faciemque suam !
 99 Sed juvenum gregibus studeat formosa videri :
 100 sic miser, et nulli commiserandus eris.
 101 Quippe nec indignum fecisse putabitur ulli,
 102 si fugit amplexus bella puella tuos,
 103 si fugit hanc faciem, qualem Medea gerebat,
 104 in natos gladio cum ruitura stetit.
 105 Hanc tamen illa potest pacato cernere vultu,
 106 nec spuit ? Obducta nec tegit ora manu ?
 107 Hanc spectare potes ? Corpus potes illud amare ?
 108 Julia ! Sed capitur, dicis, amore mei.
 109 Non ardentem amat, et amat non dignus amari,
 110 et sunt mille alii, quos tua forma rapit.
 111 Jamque diem video properantem, cum tuus illi
 112 et gravis adspectus, et grave nomen erit.
 113 Julia, tum lentas producens frigida noctes,
 114 optabis nostras in tua colla manus.
 115 Julia, non veniam ; veniet, querulumque subibit
 116 ille, peregrino lassus amore, torum,
 117 et tecum, mea lux, meliori digna cubili,
 118 vallatus densa veste jacebit iners.
 119 Tunc potes aeternis hoc unum poscere votis,
 120 ut properent longas fata tibi tenebras.
 121 Parcite, fata, tamen : formosas perdere crimen ;
 122 gloria vos alia de nece magna manet.

ELEGIA VIII

El_8 v.1 Ergo dies venit, qua se formosa mariti
 2 Dedet in aeternum Julia servitium.
 3 Qua nostras alio cogar traducere flammam,
 4 qua delenda animo est illa adamata mihi,
 5 quantum nulla fuit, quantum nec amabitur ulla,
 6 seu me vita brevis, seu diuturna manet.
 7 Jamque peregrinae committit foedera dextrae ;
 8 foedera, quae Divi jam violata volunt.
 9 Mox dapibus, levibusque dies peragenda choreis,
 10 et sine me tota est ; tota sit atra, precor.
 11 Phoebe, coloratum, si te bene credimus olim
 12 esse sacris patrem valibus, abde caput.
 13 At tu tela manu jaculare corusca rubenti,
 14 Jupiter : hac sola luce sit alba dies.
 15 Tuque Jovis conjux, quantum connubia cures
 16 talia, demissis amnibus ipsa doce.
 17 Fallimur, an certe condit sua Cynthius ora ?
 18 Condit, et obscura nocte teguntur agri ;
 19 Praecipitantur aquae, mare pendet in aere densum,
 20 ignibus excussis dissiluisse poli.

ELEGIA IX

AD PETRUM CLERICUM.

E1_9 v.1 Petre, sodalicii pars sincerissima nostri,
 2 felix Maclinia cui licet urbe frui.
 3 Me tenet Augusti celebris Bruxella triumphis,
 4 fontibus aeternas quae jaculatur aquas.
 5 Hic mihi nec desunt, gratissima turba, poetae,
 6 nec quibus a lingua divite venit honos,
 7 quorum posteritas operoso grata labori
 8 nomina sub longa luce videnda dabit.
 9 Hic veterumque manus animato miror in aere,
 10 subque meum adspectum turba togata venit.
 11 Multaque quae gentis aequant miracula priscae,
 12 quae modo Romulidum daedala mittit humus.
 13 Scilicet argutis urbs haec me ponit Athenis ;
 14 scilicet hic media sistor in Ausonia.
 15 Mille vel hic oculos possunt retinere vel aures :
 16 nulla tenent aures, nulla tenent oculos.
 17 Non queat hoc alius praeter te credere quisquam ;
 18 forte nec ipse queas credere ; crede tamen.
 19 Nimirum nostri jam pridem conscius ignis,
 20 una geris mecum pectore tela tuo.
 21 Unius ex oculis fax est accensa puellae,
 22 qua jecur Idalius torret utrique Puer.
 23 Quae tua si forsán leviter praecordia lambit,
 24 quam tibi duritiem pectoris esse putas ?
 25 Mi neque lux, neque mi noctis levat umbra dolorem ;
 26 uror, et in venis flebile vulnus alo.
 27 Semper in absentes suspiro maestus amores,
 28 inque Cupidineae moenia Macliniae.
 29 Illa sed abscessit, peregrino juncta marito,
 30 qua volvit virides in mare Scaldis aquas :
 31 abscessit : doleo. Quid tum ? Vestigia restant,
 32 et loca, quae nobis gaudia longa dabant :
 33 et si istic fuero, fuero vicinior illi.
 34 Esse putas haec tu ludicra ? Magna loquor.
 35 Tum quam multa foro nova sisteret esseda vesper,
 36 noxque rates tarda sera referret aqua,
 37 ipse rates omnes audax speculator obirem,
 38 cunctaque defixis esseda luminibus,
 39 si quae forte meam mihi redderet hora puellam,
 40 seu vectam Veneris suave sonante rota,
 41 seu raptam tereti vada per crystallina concha,
 42 seu lapsam roseo Cypridis e gremio.
 43 Nam neque te retinet conjux tuus, aut tibi longis
 44 noctibus incumbit, Julia, pondus iners.
 45 Te Venus Idalios inter fovet aurea lucos,
 46 et Venerem geminam nunc locus ille colit.
 47 Supposuit pro te scortillum turpe marito,
 48 afflavit vultus cui decus omne tui :
 49 barbarus ingratis illam complexibus urget ;
 50 teliger intactam te mihi servat Amor.
 51 His ego solarer curas, dum tempora nobis

52 tarda fluunt, aegras inter amarities.
 53 Hoc quoque (nam poteris plures admittere causas)
 54 visere Macliniam cur properemus, habe.
 55 Inter finitimas, experti credimus, urbes
 56 illa sibi formas vindicat : illa daret
 57 forte novas flammam, veteres quae pellere possint,
 58 hei mihi ! Sed vereor (Di prohibete malum)
 59 ne calor hic alia possit consistere sede :
 60 hactenus hunc certe Julia sola tenet.
 61 Candida quantumvis, et non deformior illa,
 62 et versatilibus ebria luminibus,
 63 saepe meos oculos in se Domililla moretur,
 64 oscula quae facilis ad mea sponte venit.

ELEGIA X

SOMNIUM.

El_10 v.1 Ite procul maestum, lacrimae, genus, ite querelae,
 2 et comes aligeri cura vigil Pueri.
 3 Cinge triumphantes victrici fronde capillos
 4 laurea, Phoebae grata corona comae !
 5 Misit in amplexus illam Venus aurea nostros,
 6 prima mihi quae fax, quae mihi serus amor.
 7 Non fora, non portus, non jam populosa theatra,
 8 templaque sunt nostris conscia blanditiis.
 9 Mater abest, digitis legem quae ponat et ori,
 10 et cogat tremulo murmure pauca loqui,
 11 osculaque aridulis non continuanda labellis
 12 carpere, quae juret barbara, quisquis amat ;
 13 et celare faces, et amici obtexere nomen,
 14 multaque quae solers fingere discit Amor.
 15 Sola jacet mecum semoto Julia lecto,
 16 sola tamen solos non sinit esse Venus,
 17 et Puer unanimes comitatus in omnia vitas,
 18 certus et exanimes, certus et ossa sequi.
 19 Forte vident et nos, qui spectant omnia, Divi
 20 deliciis nostris invidiosa cohors.
 21 Di, precor, o nostris ne lusibus invideatis ;
 22 non ego nunc vestris lusibus invideo.
 23 Julia, te teneo ; teneant sua gaudia Divi ;
 24 te teneo, mea lux ; lux mea, te teneo.
 25 Julia, te teneo ! Superi, teneatis Olympum.
 26 Quid loquor ? An vere, Julia, te teneo ?
 27 Dormione ? An vigilo ? Vera haec an somnia sunt haec ?
 28 Somnia seu, seu sunt vera, fruamur age !
 29 Somnia si sunt haec, durent haec somnia longum,
 30 nec vigilem faciat me, precor, ulla dies.
 31 Et quicumque meo pones vestigia tecto.
 32 Parce pedum strepitu, comprime vocis iter.
 33 Sic tibi non unquam rumpant insomnia galli
 34 tardaque productae tempora noctis eant ;
 35 plurima cum rubris tibi gemma legetur ab undis,
 36 Pactolique domus tota liquore fluet.

ELEGIA XI

El_11 v.1 Hos tibi, sancte Puer, primos sacravimus ignes ;
 2 has tibi primitias dedico, sancta Venus ;
 3 Di, quorum nostri vivent sub nomine versus,
 4 saepe colenda Venus, saepe colende Puer !
 5 Hactenus optato dant indulgere furori
 6 et mos et leges purpureusque pudor.
 7 Hactenus et, credo, vos me voluistis amare ;
 8 jamque mihi jaculi ferte medentis opem,
 9 et quod inaurati terebratum cuspide teli
 10 sollicitum toto pectore vulnus hiat,
 11 sentiat arcanas obtusa in arundine vires ;
 12 mox dolor et questus et labor exsul eat :
 13 halitibusque increta meis suspiria, cumque
 14 languida spinoso cura satellitio !
 15 Tunc ego vos dicam mitissima numina Divum,
 16 ipse Deum sine quis rex quoque tristis erit.
 17 Corque geram vestris semper penetrabile telis :
 18 en patet in vulnus pectus inerme novum.
 19 Non ego desertor fugio quae castra sequebar,
 20 absecuit longas spes properatus Hymen.
 21 Ah, Hymen, genus Uraniae, cur Thespia rupes
 22 non te detinuit, lympa nec Aonia ?
 23 Cum te nigra dies invisita ad sacra vocabat,
 24 et pactum infaustis conjugium alitibus ;
 25 ipsa ubi Tisiphone taedas a funere raptas
 26 ferali tenuit, omina dira, manu ?
 27 Nonne fuit satius cantus haurire sororum,
 28 cernere vel, sacrae qua fluit humor aquae,
 29 veste Deas posita teretes abscondere suras,
 30 quam miseram turpi dedere servitio ?
 31 Et me, cui Cypris tot basia mitis alebat,
 32 exturbare meae brachiolis dominae ;
 33 quae nunc, in longa raucescens maesta querela,
 34 discit amatoris omina vera sui ?
 35 Heu, quae non longo meditabar gaudia ductu !
 36 Unde nihil, praeter somnia vana, fero !
 37 Sic segete ex viridi flavas praesumit aristas
 38 rusticus, atque animo jam sua vota metit,
 39 vota quibus miserum grando fraudabit et imber,
 40 seu validi flatus, fulmina sive Jovis.
 41 Sed quid ego toties fatis contendere pergo,
 42 quae non mutandis stant rata limitibus ?
 43 Tu Puer, o, Puerique parens, Jove nata Dione,
 44 solvite me ingratis sollicitudinibus !
 45 Et mihi, si merui, nocituras demite flammam,
 46 ne sim famosis fabula porticibus,
 47 vinosasque meo producant nomine mensas,
 48 ignorentque malum compita nulla meum.
 49 Et si quando novo pallentem afflabit igne,
 50 efficite ut miserum me juvet esse diu ;
 51 et mihi felices extendant gaudia curas,
 52 dum veniant capiti candida fila meo.
 53 At, quocumque mei tabescent lumine vultus,

54 o saltem possim dicere : "Talis erat,
 55 nobile quae parvo nomen sortita libello,
 56 prima meae spoliū Julia mentis habet."
 57 Interea hos Elegos, primi monumenta caloris,
 58 accipite, et risum jungite cum gemitu,
 59 dicentes : nostri pars hic quoque parva triumphī est ;
 60 semper amet, dulci semper amore fruens.

ELEGIAE SOLEMNES TRES
 TRES CONSECUTIS TRIBUS POST ADAMATAM JULIAM ANNIS,
 MENSE MAIO CUPIDINI DEDICATAE.

ELEGIA SOLEMNIS PRIMA.

E1_12 v.1 Tempus adest iterum, quo stat pulcherrima tellus,
 2 effundens variis germina seminibus.
 3 Nigrescit viridi velata cacumine silva,
 4 garrula flebilium carmine Dauliadum.
 5 Illa sonans tremulum Zephyro spirante, viroris
 6 tempora conqueritur non diuturna sui.
 7 Ipsa novo Cytherea choros agit aurea mense,
 8 nuda coronatas inter Hamadryadas ;
 9 quas inter medius tenero pede gramina pulsat
 10 candidus in crocea veste protervus Amor.
 11 Haec sacris nostrae semper solemnia Musae
 12 tempora, Di magni sic voluistis, erunt,
 13 sive peregrinum via me deducet in orbem,
 14 sive sub ignoto sidere pontus aget.
 15 Hic etenim nostros primum pallescere vultus
 16 mensis, et evinctum vidit acerba pati,
 17 aligerique faces oculis gressuque fatentem
 18 ire vacillanti per loca sola pede,
 19 et dominae servare fores, pluviasque molestas,
 20 et saevas Boreae non timuisse minas.
 21 Vidit et ille idem carpentem gaudia mille
 22 lenibus ex oculis molle tuentis herae.
 23 Ergo, Puer, venis hominum qui spicula tingis,
 24 inseris et maestis gaudia lacrimulis,
 25 haec affixa cape maternae carmina myrto,
 26 annua quae semper, sis modo mitis, erunt.
 27 At vos florenti, juvenum grex floride, Maio,
 28 gensque puellaris deliciosa chori,
 29 non intellectum dum ver fugit, et fugit aevum,
 30 ludite, jam glaciem Bruma nivesque feret,
 31 canaque subrepet taciturnis passibus aetas,
 32 morsque tenebrosa nube revincta caput.

ELEGIA SOLEMNIS SECUNDA.

E1_13 v.1 Et caeli facies, et rerum mitis imago,
 2 pictaque, quae vario flore renidet, humus ;

3 pendulaque obscuris distincta umbracula silvis ;
 4 blandaque silvestres quae movet aura comas ;
 5 antraque cum Satyris fusae per opaca Napaeae,
 6 et Puer arcitenens, et Venus ipsa monet,
 7 adventare meis iterum solemnia sacris.
 8 I, puer, unguentum fer mihi, fer violas.
 9 Vina coronatis spument nigrantia mensis,
 10 nec sine multiplici stet mihi flore caput.
 11 Impositae fronti mecum languete corollae :
 12 ad latus accedat fusca puella meum,
 13 quae nigris oculis et nigro crine decora,
 14 antiquae memorem me facis efficiat,
 15 nec pejora meis infigat basia labris,
 16 serpat in amplexus nec minus apta meos ;
 17 quam quae prima suis victum me cepit ocellis,
 18 e fastu referens prima tropaea meo.
 19 Vos quoque, Pierides, ad tempora laeta vocatae,
 20 fundite concordem ore favente sonos.
 21 Primus ego ingredior, nullo de more, sacerdos
 22 annua nequitiae ponere sacra meae.
 23 Transeat, Aeolio positus in carcere ventis,
 24 et sine nube dies, et sine sole gravi,
 25 transeat hic totus sine sollicitudine mensis,
 26 hei mihi, de Maia qui male nomen habet.
 27 Vel Veneri dominae, vel, si sibi legit Aprilem,
 28 at Puero Veneris debuit esse sacer.
 29 Quamvis Maia Jovi jucundo cognita furto
 30 formosum peperit candida Nympha Deum,
 31 insignem nervis, insignem voce diserta,
 32 conspicuumque genis, conspicuumque coma.
 33 Ille velit mecum materno applaudere mensi,
 34 implicitus multa tempora flava rosa,
 35 ebriaque in longa ducens vestigia palla,
 36 argutum facili pollice pulset ebur,
 37 quem circumsiliens huc illuc crure protervo,
 38 lascivus domito vate triumphet Amor.
 39 Atque eadem gravida depromat tela pharetra,
 40 quae primum venis irrubuere meis.
 41 Ac petulante ferox insultans voce jacenti,
 42 verset in adspectu spicula nota meo.
 43 Tunc ego commonitus juratum solvere votum,
 44 perficiam toto sacra jocosa toro.
 45 Haec quoque quae cecini, ne quid solemnibus absit,
 46 suspendam myrti carmina de foliis,
 47 quae strepitent teneris adsuspirantia ramis,
 48 pulsa susurranti leniter a Zephyro.
 49 Accedet versus : Vates tuus, alme Cupido,
 50 haec tibi pro miti dedicat imperio.

ELEGIA SOLEMNIS TERTIA.

E1_14 v.1 Ille ego, qui Maio solemnia carmina mense
 2 suspendi templis, sancte Cupido, tuis,
 3 cum melior tellus meliore in amore teneret,
 4 mulcentem tepido pectore dulce malum,

5 numquid ab hac poteram liber desistere cura,
6 rejectus dulci tam procul a patria ?
7 Tam procul antiquo infelix divisus ab igne,
8 qui primum nostris ossibus incaluit ?
9 Quin etiam, te auctore, graves expertus amores
10 cum fuerim, et dominae regna superba novae,
11 cum mihi crudeli faceret ludibria vultu
12 insultans capiti torva Neaera meo,
13 certe ego si pacto juratus stare recusem,
14 unde petam veniam, vel tua mater erit.
15 Illa sua fixum conservat in arbore carmen,
16 annua devovi quo tibi sacra, Puer,
17 dum mihi mansuetas afflares leniter auras :
18 durus ades ; duro frigeat ara Deo.
19 An, mea si Libycas navis ditaverit undas,
20 aurea Ladaeis dona feram pueris ?
21 Aut, ego si moriar longinquis exsul in oris,
22 decernam reduci sacra opulenta Jovi ?
23 Abnuat hoc haeres, et, si sub iudice certet,
24 turpiter a causa Jupiter ipse cadet.
25 Ultrices igitur taedas metuemus, et arcum,
26 plusquam fulminei fervida tela Patris ?
27 Jupiter, ignoscas ; cedunt tua sceptrum nepoti,
28 et trifidum Pueri sub face fulmen hebet.
29 Illius aeternis halabunt templa corollis,
30 undabit pecudum sanguine pingue solum.
31 Mascula sudabunt verbenae thura perustae,
32 et focus in vivo caespate semper erit.
33 Ipse ego, nude Puer, signum tibi nobile ponam,
34 quale Cnidus matri servat aquosa tuae.
35 Aureus in nivea ludet cervice capillus ;
36 aurea cum fulva tela dabo pharetra.
37 Penna duplex humeris auro radiabit, et arcus
38 ille nocens : Parium cetera marmor erunt.
39 Proxima ponetur, nec erit tibi, sancte, pudori,
40 vatis amatoris Julia sculpta manu.
41 Interea roseo demus sua carmina Maio,
42 saepius ut remeans floreat ille mihi.
43 Majus alit flores, Maio pulcherrimus annus
44 vernat, Acidaliae gaudia Majus alit.
45 Spem segetis, spem Maius alit florentis Iacchi :
46 spes, memini, quondam fovit et ille meas,
47 et primos miseri gemitus audivit amantis,
48 et primas lacrimas vidit, et indoluit.
49 Tunc Zephyrum socias mecum miscere querelas,
50 qua tremit ignotis umbra sub arboribus,
51 et tepidum lacrimas jussit siccare cadentes,
52 solis ad afflatum ros uti vernus abit.
53 Maie, decus mensium, pastorum, Maie, voluptas,
54 dives opum, terrae luxuriantis amor !
55 En tibi cum Puero communia sacra volucris,
56 en tibi purpurea spargitur ara rosa,
57 et nova cantamus solemni carmina plausu,
58 quae tibi, parve Puer, quae tibi, Maie, damus.
59 Adsis, et faveas florum Dea versicolorum,
60 te rosa, te violae, te thyma cana vocant.

61 Narcissus tibi suave rubet, tibi lilia fulgent,
 62 candida virginea lilia carpta manu,
 63 omnia dotales olim quaecumque per hortos
 64 nutrit amatoris fertilis aura tui.
 65 Ecce tibi nostri cedit pars tertia sacri :
 66 linque tuos hortos. Diva jocosa ; veni,
 67 qualis eras Zephyro, cum te, formosa, secutus
 68 securam pennis mollibus implicuit :
 69 qualis ab aethereo spectabas culmine ludos,
 70 quos tibi solemnes Martia Roma dabat.
 71 Romanis tibi pro ludis Romana Secundus
 72 carmina diversa cantat in Hesperia,
 73 qua rutilas Tagus assiliens ejectat arenas,
 74 sub matutinis cantibus alituum,
 75 carmina spectaclis longe potiora vetustis :
 76 sustulit haec aetas, illa perenne manent.
 77 O ita cum blando, blandissima Mater, Amore,
 78 o ita, Bacche, velis, o ita, Phoebe pater !
 79 Semper ut illius maneant monumenta caloribus,
 80 quem movit tremulis ignea luminibus,
 81 magnum quae parvo nomen sortita libello,
 82 prima meae spolium Julia mentis habet.

JOANNIS NICOLAI SECUNDI ELEGIARUM LIBER SECUNDUS.

ELEGIA I

E2_1 v.1 Cui damus hos Elegos ? Tibi, qui legis ista libenter,
 2 cui micat in laeta fronte serena Venus.
 3 Seria qui curas, procul hinc age seria, ferri
 4 nos sine, quo Pueri jura volantibus agant.
 5 Tempora cum longum jucundo florida vere
 6 stant, neque nix atris crinibus ulla venit,
 7 et Nymphae, et Charites, et capripedes Sylvani,
 8 et silvae, et virides sint mihi carmen aquae,
 9 et Venus, et Veneris lateri lascivus adhaerens,
 10 gaudia qui curis dulcia miscet, Amor.
 11 Cum glacialis hiems calidos exstinxerit aestus,
 12 naturae libeat tunc mihi scire vias,
 13 immensumque suis sectum regionibus orbem,
 14 quaeque malum spondent sidera, quaeque bonum.
 15 Non ego Virgilii manes Acheronte ciebo,
 16 florida sacro sarta ferens tumulo.
 17 Per me Maeonides secunda dormiet urna :
 18 Ascraeo cineri victima nulla cadet.
 19 O tantum faveas Umbri levis umbra poetae,

20 Cynthia si nostro semper in ore sonat.
 21 Tu caput hoc circum pennis adlapsa sonoris,
 22 ter strepe, procumbens ter bona verba canam.
 23 Deinde ubi Panchaeo fumaverit ara vapore,
 24 placatum Lethes et mihi numen erit,
 25 adpersam lactis niveo te rore remittam,
 26 Cynthia ne caro vate sit orba diu.
 27 Ignavae tenebrae, longique oblivia saeculi,
 28 quaeso, soporiferas hinc cohibete manus.
 29 Hunc etiam Veneris servat tutela libellum,
 30 hunc etiam sacra lustrat Amor facula.
 31 Si tamen ista cadent senio defecta caduco,
 32 et fiet nomen littera trita meum,
 33 aequius occumbam, si post mea fata superstes
 34 Nicoleos frater vixerit, aut Marius.
 35 Vatis amor vates, germani, gaudia fratres,
 36 carmine fas vestro sit superesse mihi.
 37 Ingeniose Mari ! Ventura in saecula tecum
 38 me tua Cymba vehat, non grave pondus ero.
 39 Cymba, renidentem qua mutet Cypria concham,
 40 quamque columbino praeferat ipsa jugo.
 41 At tu formosas Dryadasque et Naiadas inter
 42 rure tuo sedem da mihi, Nicoleos !
 43 Tu divina canis Serrati culmina montis :
 44 is tibi monstravit primus in astra viam,
 45 laurigeroque cavas ferienti vertice nubes
 46 ad juga Parnasi jam leve fecit iter.
 47 Barbarus ad ripas nuper te Cinga canentem
 48 audiit antiqui delicias Latii ;
 49 Narcissum vitrei morientem fontis ad undam
 50 florem de riguis purpureum lacrimis ;
 51 omnes ut puerum suspiravere puellae ;
 52 omnes ut puerum deperiere Deae ;
 53 ut puer instantes sprevit per rura puellas,
 54 ut puer errantes per nemora alta Deas :
 55 quarum quae flammis arsit gravioribus Echo,
 56 cantibus applausit Diva canora tuis.
 57 Ipse tuos numeros tenebris audivit ab imis,
 58 uritur et proprio jam magis igne puer.
 59 Nec speculum Stygiae modo consulit amplius undae,
 60 emicat in versu pulchrior ille tuo.
 61 His allecta modis pridem superasse putatur
 62 laeta Pyrenaeas Calliopea nives.
 63 At tibi pro merito felix Hispania lauros
 64 virgineas hortis seligat Hesperiiis ;
 65 et tibi Cingiades intexant ordine Nymphae
 66 Narcissos lentae puniceos hederae !

ELEGIA II

E2_2 v.1 Tempore cur dicto cessas, Venerilla, venire ?
 2 Ecce tibi torus est, ecce parata Venus,
 3 qualem Tyndaridi spatiosa per aequora vectae
 4 tutus in Iliaca solvit adulter humo.
 5 Ipsa Venus violis, et puniceis amaranthis

6 et totum Cyprio sparsit odore torum.
 7 Ipse torum face lustravit flammante Cupido,
 8 transiliens agili candida fulcra pede.
 9 Quid cessas formosa ? Tuum sic ludis amantem ?
 10 An magis exiguo tempore discrucias,
 11 obsequio ut meliore moram lasciva repenses,
 12 dilatusque avida mente bibatur amor ?
 13 Ah, nimium mihi tarda, et tarda tardior hora,
 14 quam male dinumeras tempora, quae numero !
 15 Sed cur dinumeres, cum malis fallere amantem ?
 16 Forsitan haec aliis hora parata fuit.
 17 Dumque ego blanditiasque tuas, et roscida mente
 18 oscula praecipio, multiplicisque vices,
 19 dum vacuum falsis amplexibus aera capto,
 20 dum mea in absentes porrigo colla manus,
 21 et quemcumque movet strepitum levis aura per aedes,
 22 dilectos dominae suspicor esse pedes ;
 23 demulces alium tepido perjura cubili,
 24 cum quo disperdas gaudia pacta mihi.
 25 Forsitan et de me teneros motura cachinnos,
 26 miscetur vestris fabula nequitiis.
 27 Hei, quid in immeritam tam turpia crimina fingo !
 28 Credo equidem, faciles jam movet illa gradus ;
 29 jamque pedem thalamis ponet cultissima nostris.
 30 Fallor, an in nostro limine latrat Hylax ?

ELEGIA III

E2_3 v.1 Flammeolis, mea lux, oculis, dum cuncta peruras,
 2 frigidius Scytica cur nive pectus habes ?
 3 An malus ille Puer, terror matricum Jovique,
 4 quod tam formosa es, laedere te metuit ?
 5 Non metuit certe : tales amat ille triumphos,
 6 et formosarum vulnere semper ovat.
 7 Lumina sed radiis tua non cedentia Phoebi
 8 Idalias hebetant discutiuntque faces.
 9 Ille dolet, rubor ora calens puerilia signat ;
 10 vix, o vix lacrimas lumina torva tenent.
 11 Lente Puer, matricum pudor rediture dolenti,
 12 mitte facem ; jaculis haec tibi praeda venit.
 13 Aut si formosum non vis transfigere pectus,
 14 candida ne livor membra cruorve notet,
 15 exstinctas faculas dominae sub lumina conde,
 16 illa iterum flammam, quas rapuere, dabunt.
 17 Mox ubi languidulam carpet nocturna quietem,
 18 clausit atque illi sidus uterque sopor,
 19 ignaram totis furtim succende medullis,
 20 hauriat et longum corde tepente malum.
 21 At tibi si monitis veniet victoria nostris,
 22 sancte Puer, vatem mitius ure tuum !

ELEGIA IV

E2_4 v.1 Cara meum gelida feriit nive Lydia pectus,
 2 dicebam ; flammis haec, puto, tela carent.
 3 Nec caruere tamen : sub aqua latuere favillae ;
 4 flammaque per vevas stillat aquosa meas.
 5 Hei mihi ! securi qua declinabimus ignem,
 6 frigore duratas si metuemus aquas ?
 7 Frigore fax nata est, tolletur frigore nullo,
 8 sperandum simili de face frigus erit.
 9 Sume pares ignes, miserumque levabis amorem,
 10 Lydia, frigoribus semper acerba noces.

ELEGIA V

E2_5 v.1 Non tam mite mihi pectus, natura, dedisses,
 2 calcaret nostrum nulla puella caput :
 3 nec paterer toties tumidi ludibria vultus,
 4 iratisque oculis oscula blanda darem ;
 5 rivalemque meum, domina laudante, probarem,
 6 adstrictus turpi sedulus obsequio.
 7 Dura puella, puella meis indigna Camenis,
 8 Alpinis animum frigidior nivibus !
 9 Ementita tuae facio praeconia formae,
 10 ut, qualis non sis, esse putere mihi.
 11 Te laudo vates, laudatam amplectitur alter
 12 barbarus, et nostros arrigit ad numeros.
 13 Adspicio fractosque oculos, et colla notata
 14 dentibus, et quasso non bona signa toro.
 15 Diceris interea, fateor, castissima nobis,
 16 multaue narramus de probitate tua.
 17 Tu quoque, mentitum ne me rear, ore pudico
 18 respuis usque meas, dura Neaera, preces.
 19 Cumque aliis toto pateat tua janua poste,
 20 multus et e foribus lassus amator eat ;
 21 uni casta mihi perstas, haec praemia vates
 22 debita pro falso munere vanus habet.
 23 Heu, crudelis Amor ! Tuque o crudelior illo,
 24 sive hostis, seu non, pulchra Neaera tamen !
 25 Tempus erit certe, curis cum liber amaris,
 26 excutiam vestras despiciamque faces.
 27 En mihi jam silices, en circum pectora ferrum
 28 nascitur : en vinco vos quoque duritie,
 29 infidum genus ah, nuper mea cura, puellae !
 30 Mentis pernicies insidiosa bonae !
 31 Non ego vos posthac humili prece lentus adibo,
 32 asperaque obtutu verba feram tacito :
 33 laesus et a vobis, laesas vos esse fatebor,
 34 et placatrices ipse feram lacrimas,
 35 contemptusque superba pedes ad limina cogam
 36 invites ; pereat ! Quem juvat ista pati,
 37 dura Neaera, Neaera meis indigna Camenis,
 38 Alpinis animum frigidior nivibus !
 39 Non ego, cum veniet pallae melioris amator,
 40 quaelibet abscondam jussus in antra caput ;
 41 scilicet ut possis divis jurare vocatis

42 per caput illius, perfida ! Perque tuum,
 43 illi te viduas intactam ducere noctes,
 44 et tritum nullis limen habere viris.
 45 Non ego, cum veniet loculi gravioris amator,
 46 in famulas vertam basia nostra tuas,
 47 scilicet ut ridens dicas, ignosce protervo,
 48 insanit famulae captus amore meae.
 49 Haec quicumque potest nullo perferre dolore,
 50 idem Caucaseas et tolerabit aves ;
 51 Sisyphii gaudens provolvit pondera saxi ;
 52 Tantaleae sitiens non inhiabit aquae ;
 53 ille premet gemitum conclusus in aere Perilli ;
 54 ne det mugitus machina fumificos.

ELEGIA VI

E2_6 v.1 Saucius aligeri languebat arundine quondam,
 2 moxque necis gelidae spicula sensit amans.
 3 Corpore in exsanguis restabant tela duorum :
 4 haec vulsura suum venit, et ille suum.
 5 Vulsit Amor nigrum scelerata cuspide ferrum :
 6 Heu, quid agis ? Non sunt haec tua tela, Puer !
 7 Spicula Mors sumpsit manibus radiantia furvis,
 8 cessit in aerias et male sana vias.
 9 Nec mora : digressi repetunt lacrimabile munus ;
 10 ille suos quaerit, quaerit et illa suos.
 11 Missa peregrinis sparguntur vulnera nervis,
 12 et manus ignoto saevit utrimque malo.
 13 Irrita Mors arcus validi molimina damnat,
 14 plorat Amor teneras tam valuisse manus,
 15 donec, fallaci repetito saepius ictu,
 16 erroris sensit crimen uterque sui.
 17 Foedabant juvenes primas in pulvere malas,
 18 oscula quas, heu ! Ad blanda vocabat Amor.
 19 Canities vernis florebat multa corollis,
 20 Persephone crinem vulserat unde sibi.
 21 Quid facerent ? Falsas procul abjecere sagittas :
 22 de pharetra jaculum prompsit uterque novum.
 23 Res bona ; sed virus Pueri penetravit in arcum.
 24 Ex illo miseros tot dedit ille neci.

ELEGIA VII

ALIENO NOMINE ET IN GRATIAM CONSALVI PEREZII HISPANI CONSCRIPTA.

E2_7 v.1 Si qua venit summo positus in culmine rerum,
 2 illa ruina suo pondere magna venit.
 3 Mitius infelix accusat fata colonus,
 4 arida depositum si male solvit humus,
 5 quam si, maturis quae jam flavebat aristis,
 6 succumbat pluviis imbribus atra seges.
 7 Cum rudis a primo religavit litore funem
 8 nauta, necaturas lenius haurit aquas ;
 9 idem permenso patriam si viderit orbe,

10 canaque navifragis fluctibus ora tegat,
11 heu, quae non tumida jactat convicia lingua
12 caeruleis Nymphis, caeruleoque Patri !
13 Expertus queror, ah, mendaci lusus amore ;
14 non minor est illis nostra querela malis.
15 Urebat formosa meas Justina medullas,
16 digna Jovis thalamis, sed magis apta mihi.
17 Candor erat, qualem Veneris flos albus habebit,
18 purpureo Bacchi si natet in latice.
19 Lumina fulgebant nitidis aequanda lapillis,
20 quos niger Eoa colligit Indus aqua.
21 Illorum ex acie torsit nova tela Cupido,
22 "Plusque, ait, haec nostris arma furoris habent."
23 Vera Deus monuit, sed enim, quia dignior illa
24 nulla fuit titulum cladis habere meae,
25 sustinui indomitas objecto pectore flammam,
26 sensus et e tanto vulnere parvus erat.
27 Sic aliquis Bacchoque animum furiatus et ira,
28 sumpsit ubi attonita fervidus arma manu,
29 irruit in gladios, et centum vulnera passus,
30 viribus infractis acer ab hoste redit,
31 abstergens tepidos et pro sudore cruores,
32 quam sentire queat conspicit ante malum,
33 donec succiduo tellurem poplite quassans,
34 corruit, et fuso sanguine vita fluit.
35 Repit Amor sensim totos infusus in artus,
36 suscitatur ut magnos parva favilla rogos.
37 Pallorem nostri tum mirabantur amici,
38 demissosque oculos, instabilemque gradum,
39 ridentes gemitusque meos, et inania verba,
40 rorantesque novo saepe liquore genas.
41 Nec mihi luce graves aberant, neque nocte dolores ;
42 nec mihi grata Ceres, nec mihi Bacchus erat.
43 Irrita lucebant obscuro sidera mundo,
44 Cynthius obducta nube premebat equos.
45 Et sine fronde frutex, et erat sine gramine campus,
46 et sine lucenti fons inamoenus aqua.
47 Umbra levis tantum nostro de corpore mansit,
48 inter et extinctos adnumerandus eram.
49 Sola suis Justina oculis pulcherrima vitam
50 reddebat muto lene tuens cineri.
51 Gaudia tunc lucisque mihi noctesque ferebant,
52 grataque erant Cereris munera, grata meri.
53 Aurea fulgebant rutilanti sidera mundo ;
54 formosus croceos Phoebus agebat equos.
55 Fronde frutex viridi, vernabat gramine campus ;
56 et pellucidula fons saliebat aqua.
57 Hoc est infandum, quodcumque vocatur amare,
58 sollicita alternis gaudia cum lacrimis.
59 Nec fuit auxilio, quod mitigat omnia, tempus,
60 mutavit flammam nec via longa meas.
61 Ad fines veni Latios, glebamque feracem,
62 vectus Tyrreni per freta Tusca maris,
63 pulsatus raucis ubi vocibus Appenninus
64 saepe tulit questus in freta surda meos.
65 Austriacos vidi populos, ubi maximus Ister

66 cantatas gemino nomine volvit aquas.
 67 Quin etiam Hungaricae me conspexere ruinae
 68 flentem, non miseri tristia damna soli,
 69 non furias hostis vicino Marte cruenti,
 70 taedia difficilis nec sinuosa viae ;
 71 sed fastus, Justina, tuos, o durior illis
 72 cautibus, aeterna quas nive tundit hiems.
 73 Hinc quoque Belgarum populosas vectus ad oras,
 74 unica cum nato quae Venus arva colit,
 75 centum candidulas vidi per compita formas,
 76 omnes innocuis, Lux mea, luminibus.
 77 Est aliquid servare fidem : miserata dolores
 78 reddidit Hesperiae me Cytherea meae.
 79 Tu quoque fidorum jam non ignara calorum,
 80 coepisti nostris victa dolere malis ;
 81 atque aliquid sentire meis adfines favillis,
 82 damnans longa tuae tempora duritiae.
 83 Nec mora : jam cingenda dabas formosa lacertis
 84 colla, dabas blando murmure basiolum.
 85 Et quiddam haud tacitis promittens majus ocellis,
 86 languebas fusa per mea colla manu.
 87 Hora brevis poterat conjungere molliter ambos,
 88 et dare concordi gaudia plena toro.
 89 Basia nexilibus dum jungimus humida linguis,
 90 dum volat huc illuc missa proterva manus,
 91 et sine mente oculi volvuntur utrimque salaces,
 92 dulciaque ad Veneris sacra paratur iter ;
 93 ecce pedem thalamo feralem in limine ponens
 94 improba propositum Larvia rupit opus.
 95 Det tibi, tristis anus, inopem Cytherea senectam,
 96 et sero lacerum torreat igne jecur.
 97 Nec tibi contingat turpes satiare furores,
 98 semper at indomitae more feraris equae.
 99 Et quae tam sanctos violarunt lumina amores,
 100 Non umquam placida fessa tegantur humo ;
 101 illa sed ante rogum rabidi canis ira revellat,
 102 spargat desertis et lacerata locis ;
 103 colligat illa furens, magicasque exusta per aras
 104 carmine sacrilego dira fatiget anus !

ELEGIA VIII

AD LECTULUM.

E2_8 v.1 Lectule, qui domini lentum sine compare dulci
 2 pondus habes, nullis conscie deliciis !
 3 Heu, quae torpentem somno me setnper inert
 4 imposuit fulcris sors inimica tuis !
 5 Dignus es, et certe mecum felicior esses,
 6 afflaret si me lenis, ut ante, Deus :
 7 sive meo facilis penderet Julia collo,
 8 Julia fervoris prima favilla mei ;
 9 altera seu mecum longas variaret in horas
 10 labra columbinis roscida basiolis,
 11 difficilis nimium, nimiumque infida Neaera,

12 nec merito numeris nobilitata meis ;
 13 seu quaecumque meis versaret in ossibus ignem,
 14 digna toro facies, digna furore meo.
 15 Non ego dedecori fierem tibi, lectule mollis,
 16 sponda veterosum nec tua ferret onus.
 17 Non Venerem malles nudo cum Marte jacentem,
 18 dulcia nec varii furta fovere Jovis.
 19 Nunc tristes una toto tabescimus anno,
 20 inque parem sortem te mea fata trahunt.
 21 Mollis Amor, terraeque, Puer, caelique voluptas,
 22 quaeque volas concha per freta summa levi,
 23 languida qui blandis mordetis pectora curis,
 24 unde patens aer, unda solumque vigent !
 25 Cur nos tam miti cruciatis pectore vates
 26 aut nullo miseros, aut in amore malo ?
 27 Optabam, memini, cum nuper amore vacarem,
 28 vester in hanc animam ne foret ignis iners :
 29 haec mihi quam multos peperit vox una dolores !
 30 Traditus indignae praeda fui dominae.
 31 Illa tribus didicit ter eandem vendere noctem
 32 improba, et exclusis sola cubare tribus ;
 33 dicere, jam venias ; venientem fallere, seque,
 34 esse domi clausa dissimulare sera.
 35 Scit bene qua juvenis, scit qua moderatior aetas
 36 et qua delirus ducitur arte senex.
 37 Cum voluit, perjura quatit singultibus ora,
 38 et tepido laetas irrigat imbre genas.
 39 Quamvis munera amat, non prosunt munera danti,
 40 sed tantum longi sunt mala vincla mali.
 41 Qui dedit, hunc veteres inter fastidit amantes,
 42 qualis in eversa stat vetus aede Deus.
 43 Qui modo dat, nimium novus est, neque dignus, ut illis
 44 praeferat hunc, junxit quos sibi prisca fides.
 45 Semper habet causas, cur munera poscat amantem,
 46 semper habet, noctem cur dare lenta neget.
 47 Nam modo formosus puer est venturus ad illam,
 48 ignea cui niveo fulget in ore rosa,
 49 levius cui nulla sordescunt inguina pube,
 50 scilicet effecit quem modo prima virum ;
 51 et modo in alterius se jurat amore perire,
 52 nec vacuum ad flammam pectus habere novas ;
 53 et modo tam nota nullum de plebe salutatur,
 54 ut semel est nervum experta tribunicium.
 55 Saepe gravem capitis causatur pallida morbum,
 56 saepe nova signat religione diem,
 57 saepe dolet, fictamque ruens ignescit in iram,
 58 Baccha repentinis ut furit acta sacris.
 59 Ilicet, exhaustis oculis discedit amator,
 60 illicet, egregius jam subit ille puer,
 61 curva labescenti frangens vestigia nixu,
 62 dixisset Pylius quem, puto, Nestor avum,
 63 uda sub hirsuta torpent cui lumina silva,
 64 herniaque effetis pendet ab inguinibus.
 65 Tolle tuas artes, nimium cognovimus istas.
 66 Simplicius poteris dicere : "Vade foras,
 67 et gravis es nobis, et sunt tua munera parva,

68 et nimium vera quaeris amare fide."
 69 Si tamen haud fallit Phoebi cortina poetas,
 70 et sacer aetheriis vatibus ardor inest.
 71 Sera tibi veniet fastus vindicta superbi ;
 72 aetatis tenerae crimina flebis anus,
 73 cum tibi caelatum laxis, pulcherrima, rugis
 74 luridus inficiet pallor anile caput,
 75 conductamque trahens tremebundo pollice lanam,
 76 involves fuso stamina longa gravi.
 77 Adspiciet lacrimas ridens Erycina seniles,
 78 et levis excussa plaudet Amor pharetra ;
 79 et juvenes omnes, et me tua probra juvabunt :
 80 lux, precor, o fato sit prior illa meo !
 81 Tunc ego candentis, Venus o formosa, columbae
 82 ante tuas aras viscera pura feram.
 83 Interea flammis jecur hoc melioribus ure,
 84 dum res et vitae tempora verna sinunt.
 85 Me recreet placidi tranquilla Cupidinis aura,
 86 sit procul ex animo turbida cura meo.
 87 Me jocus, et risus juvet, incertique Penates,
 88 me lyra, me calices, me rosa tincta mero ;
 89 me sine nube dies, et me sine nocte tenebrae,
 90 et sine nox tenebris, et sine dote torus ;
 91 rixa vacans odiis, et nullo vulnere bellum,
 92 et matutino victa sopore Venus !

ELEGIA IX.

AD SOMNUM.

E2_9 v.1 Somne, tenebrosae necis ignavissime frater.
 2 Et tantum vanis dulcis imaginibus !
 3 Parce meae dominae natitantes claudere ocellos,
 4 noctis promissae dum brevis hora fluit !
 5 Pacta mihi est, non, Somne, tibi. Cur, improbe, pennis
 6 subrepens tacitis in bona nostra volas ?
 7 Desine, si pudor est, onerare amplexibus atris
 8 membra Pyrenaea candidiora nive.
 9 Te sibi, deserto ducens suspiria lecto,
 10 noctibus in viduis multa puella vocat.
 11 Te vocat enervis conjux formosa mariti
 12 plurima, et instanti gaudia nulla negat.
 13 Tune obscura putas tua, lascivissime, furta,
 14 immunis quorum nulla puella fuit ?
 15 Parva licet matris caris indormiat ulnis,
 16 et rudis et nulli contemerata viro,
 17 te tamen experta est resolutis aegra medullis,
 18 et frustra matris muta vocavit opem.
 19 Cuncta patent tibi, Somne, cubilia formosarum,
 20 nocte brevi vigilet scilicet una mihi.
 21 Ipsa negat tibi se, cubitoque innixa supino
 22 erigitur, nostrum labitur inque sinum.
 23 Sed rursus nitidos oculos devicta remittit,
 24 fractaque anhelantes vox cadit in gemitus.
 25 Quid faciam, mea Lux ? Quo te medicamine tangam,

26 ut sopor iste tuo defluat ex animo ?
 27 Nam neque subducam lapsuro brachia collo,
 28 nec tibi stridenti voce molestus ero ;
 29 nec digitis vellam digitos tibi, nec pede duro
 30 urgebo suras marmoreumque pedem.
 31 Uda papavereo detergam lumina succo,
 32 sive meis oculis, seu magis ore meo :
 33 inque tuum maestus flectam suspiria nomen,
 34 mussabo magicis carmina lecta sonis,
 35 quae mihi, Thessalici quondam doctissima ritus,
 36 nocte relucenti commemorabat anus,
 37 cum me, custodes calcans secura jacentes,
 38 virginis intactum detulit in thalamum.
 39 Phryxaeam vigilans servabat bellua lanam,
 40 servabat vigilans aurea mala Draco.
 41 Tu quoque fac vigiles juvenem complexa virentem,
 42 delicias rapiat ne qua puella tuas.
 43 Somnus abit, sensi, leviori pectus amatum
 44 jam gravat illa mihi pondere, somnus abit.
 45 Jam fas est majore sono cantare, novumque
 46 mittere reclusas carmen in auriculas.
 47 Nondum Luna teres tetigit fastigia caeli
 48 ardua, fraternis dissita luminibus.
 49 Tu tamen, ah ! pigro jamdudum immortua somno
 50 turpe toro pondus, me vigilante, jaces.
 51 Nil agimus ; jam se dedet secura quieti,
 52 norit ubi roseum tam procul esse diem.
 53 Hospitis Oceani spumosa cubilia linquit
 54 Phoebus, et ardentis in juga cogit equos.
 55 Sidit Atlanteas Phoebi germana sub undas,
 56 obtundunt aciem sidera victa suam,
 57 terque dedit lucis signum cristata volucris ;
 58 tu tamen adsiduo pressa sopore jaces.
 59 Uxores jaceant sic, deformesque puellae,
 60 quaeque parant lassis taedia foeda viris.
 61 Tu mecum longa ludas licet, o mea, nocte,
 62 et mecum longa deliciosa die.
 63 Inclinata sopor numquam mea lumina solvet :
 64 qui dormit, secum non habet ille suam.
 65 O nunc, o vigiles, illud ne protinus addam :
 66 quae dormit, secum non habet illa suum.
 67 Hoc non admittes in te, dulcissima, crimen,
 68 somnus jucundis jam fluet es oculis.
 69 En ! Niveo lapsos formavit pollice crines,
 70 lumina permulsit semireclusa manu,
 71 et mihi basiolum strinxit trepidante labello,
 72 quale viro in somnis nulla puella tulit.
 73 Jam dormisse decet, jam te formosior ipsa es,
 74 mollior ex oculis jam tibi flamma venit.
 75 Sic, ubi nocturnos rupit Tithonia somnos,
 76 purpureum flavo fundit ab ore decus ;
 77 sic nitet ambiguo Titan gratissimus ore,
 78 cum se non totum nubibus exseruit.
 79 Talia per densos myrthi Latonia ramos
 80 dejicit in tremuli lumina fontis aquam.
 81 Nunc licet intonsi veniat sub imagine Phoebi

82 somnus, Atlantiadis vel gerat ora Dei,
 83 exemploque Jovis liquido nitidissimus auro
 84 diffluat, aut niveo tectus olore gemat ;
 85 spernet Apollineos prae me Venerilla capillos,
 86 Mercuriique genas, Mercuriique lyram ;
 87 excludet gremio croceae ludibria guttae,
 88 et frustra ad thalamos dulce queretur olor.

ELEGIA X

DE SECUNDIS NUPTIIS NICOLAI NICOLAI GRUDII FRATRIS.

E2_10 v.1 Aequora sulcabat picta Venus aurea concha,
 2 cui comes ardenti cum face Natus erat
 3 aliger, aligera miscens fera bella sagitta.
 4 Illius late pontus ab igne calet.
 5 Senserunt pisces infectas aequoris undas,
 6 Nereidesque imis delituere vadis.
 7 Ad magni tandem venerunt ostia Scaldis,
 8 divertit cursus quo Dea sancta suos.
 9 Excipit et matrem senior veneratur Amorum ;
 10 Naiades glaucae concomitantur heram.
 11 Jamque suum Divae felix Antverpia portum
 12 pandit, et alliciunt moenia clara Deam ;
 13 quae, postquam viridi religavit ab arbore concham,
 14 divinum magna ponit in urbe pedem.
 15 Pone subit Puer arcitenens, acuitque sagittas,
 16 inflectitque arcus, cui Dea mater ait :
 17 "Nunc age, tinge, Puer, casto tua tela veneno,
 18 formosa est vati danda puella meo.
 19 Grudius, Hesperia nuper bene cognitus ora,
 20 Narcissi miseras dum caneret lacrimas,
 21 Caesareasque aquilas per funera mille secutus,
 22 scriberet arcanis dum sacra jussa notis,
 23 ad patrios rediit amissa conjuge Belgas,
 24 impatiens vidui taedia ferre tori.
 25 Jamque etiam taedas hac ambit in urbe jugales ;
 26 digna meo res est, digna favore tuo.
 27 Ille meas dulci decantat carmine laudes,
 28 et nostrum late prorogat imperium.
 29 Urbs haec formosas nutrit cultasque puellas,
 30 e quibus est vatis dignior una toro,
 31 quae tantum reliquas formae praecellit honore,
 32 a forma quantum vincitur ipsa mea."
 33 Dixerat ; at rutilis subito secat aera pennis,
 34 virgineumque Deus labitur in thalamum,
 35 lectaque Gnosiaca depromit tela pharetra,
 36 figit et in tenerum spicula casta jecur.
 37 Rursus et aetherias pennis sublatus in auras
 38 ad juvenem motis venit Amor facibus,
 39 atque ait : "O nostras toties experte sagittas,
 40 hoc quoque supremum non grave vulnus habe !"

ELEGIA XI

AD CAROLUM CATZIUM.

E2_11 v.1 Carole, jucundos potuisti linquere amores,
 2 terribilesque tubas, et fera bella sequi ?
 3 Crede mihi, non est armorum gloria tanti,
 4 ut fleat ulla tuas maesta puella vias.
 5 Siccine sperasti vitare Cupidinis arcus,
 6 Martia sanguinea dum capis arma manu ?
 7 Falleris : absentes major premit aestus amantes,
 8 nullaque sollicito proelia amore vacant.
 9 Deseruit carum numquam Venus ignea Martem,
 10 nec timet in castris accubuisse Deo.
 11 Caesareasque acies in primis Diva tuetur,
 12 Aeneaeque genus, progeniem que suam.
 13 Tu licet extremos properes bellator ad Indos,
 14 ad latus usque tuum callidus ibit Amor ;
 15 induet et galeam, surasque includet in aere ;
 16 et sparget tenera tela cruenta manu.
 17 Difficile est pugnare Deo : quo longius ibis,
 18 erronem tanto durius uret Amor ;
 19 inque acie media, dum fulgurat aegide Mavors,
 20 occurreret dominae tristis imago tibi :
 21 tum pugnae oblitus, Martemque exosus acerbum,
 22 malles in molli bella movere toro.
 23 Ah pereat ! Duros primus qui protulit enses ;
 24 ille fuit ferro durior ipse suo.
 25 Ille autem scelere ante alios immanior omnes,
 26 tormenti invenit qui genus arte nova
 27 infandum, horrendum, durum, tremuere quod ipsae
 28 Eumenides, et rex horruit ipse Erebi.
 29 Qua ruit, occumbunt urbes, silvaeque tremiscunt,
 30 turbatique sonat regia vasta maris,
 31 non sic irata jaculatur fulmina dextra,
 32 nec tonitru caelum Jupiter omne quatit.
 33 Excutit ingentes immani pondere moles,
 34 involvens fumo nigricolore diem.
 35 Quid falso innocuum tonitru Salmonea damnas
 36 Jupiter ? Iste tuo fulmine dignus erat.
 37 At tibi dent, fama clarum, spoliisque superbum,
 38 ad patrios Superi posse redire lares.
 39 Ut votiva Deum suspendas munera templis,
 40 armaque et ereptas hostibus exuvias.

.../...

JOANNIS NICOLAI SECUNDI ELEGIARUM LIBER TERTIUS.

ELEGIA I

E3_1 v.1 Carminibus potuit torrentia sistere quondam
 2 flumina, et arrectas saepe tenere feras ;
 3 carminibus rigidas potuit deducere quercus
 4 Orpheus, et celeres continuisse notos ;
 5 carminibus durum potuit mollire Charontem,
 6 applicuit ripae protinus ille ratem.
 7 Carminibus potuit, qui servat pervigil atra
 8 limina, tergeminum perdomuisse canem ;
 9 carminibus mulcere Hecaten, mulcere sorores,
 10 sistere et anguinae sibila dira comae.
 11 Carminibus potuit crudelem flectere regem,
 12 tristiaque inferni solvere jura fori.
 13 Carminibus tandem victa omnis turba, petenti
 14 Eurydicen vati restituere suam.
 15 Sed non carminibus potuit revocare relapsam,
 16 nec rata Tartarei fallere pacta Dei.
 17 At bene, si cautus, quod carmine fecerat ante,
 18 muneribus Stygias sollicitasset anus ;
 19 munera Plutoni, Rhadamantho dona dedisset,
 20 sensisset faciles in sua vota Deos.
 21 Irrita lex fuerat, fuerat mox reddita conjux,
 22 et fuerat rursus lex data nulla viro.
 23 Orpheu, quid ? Tantum tua carmina posse putabas,
 24 ut non credideris munera posse magis ?
 25 Jupiter ad Danaen non carmina inania misit,
 26 misit in optatos aurea dona sinus.
 27 Illa, leves fuerat quae rejectura Camenas,
 28 coepit inauratum laeta fovere Deum.
 29 Carmina, formosis olim haud ingrata puellis,
 30 jam pridem vacuum, nil nisi nomen habent.
 31 Munera sola beant, sola addunt munera formam,
 32 munere sollicites Pallada, Cypris erit.
 33 Carminibus falsos, vates, meditabere amores,
 34 cantans ad surdas carmina vana fores.
 35 Muneribus dulces mercabitur intus amores
 36 Barbarus, et ludet teque tuosque sonos.
 37 Munera fecissent cunctos ex ordine sponsos
 38 participes thalami, Penelopea, tui ;
 39 sed non dona dabant, vel si tibi dona dederunt,
 40 falsa tuae fertur fama pudicitiae.

ELEGIA II

AD CAROLUM V. ROMANORUM IMP. P. F. A.

E3_2 v.1 Carole, qui solus patuli simul omnia mundi
 2 invicta poteris regna tenere manu,

3 ni fortuna favens sibi non voluisset abesse,
 4 quo posset carum saepe beare caput ;
 5 hoc, quod adest, signum venit a sculptore poeta ;
 6 concedes veniam, si minus artis habet.
 7 Ex una Herculeas spectabis parte Columnas
 8 stare procelloso, quae tua signa, mari.
 9 Pars tenet augustum felicior altera vultum :
 10 hunc quid defixis ipse stupes oculis ?
 11 An quid in hoc subito venerandum, lene, decorum,
 12 et quod plebeium non queat esse, vides ?
 13 Scilicet ista tui est, mitissime Caesar, imago
 14 oris ; at, heu, digiti quam poliere rudes !
 15 Lysippi manibus fuit haec formanda, vel illis,
 16 Pallada quae priscis et posuere Jovem.
 17 Tunc poterat vultus inter lucere Deorum,
 18 invidiosa Deis, invidiosa Jovi.
 19 Nunc, mea cum fecit manus hanc temeraria, quanta
 20 Majestas operi, gratia quanta perit !
 21 Illa tamen poterit, qualis sit cumque, remotis
 22 testari populis de pietate tua,
 23 atque tuis praestare fidem per saecula gestis,
 24 inter et historias, Caesar, habere locum.
 25 Qualis enim quisque est, qualis fuit, indicat oris
 26 forma, gerit certas pectoris illa notas.
 27 Arguet aeternum crudelia facta Neronis,
 28 ex fulvo quod adhuc aere numisma manet.
 29 Illud habet dextram cognata caede madentem,
 30 signaque materni sanguinis illud habet ;
 31 Urbis opes dominae flagrantem igne nefando,
 32 totque necatorum corpora trunca Patrum.
 33 Sic vultus si saecula tuos venientia cernent,
 34 et pietas illis et tua nota fides ;
 35 relligioque et mens observantissima justi,
 36 nulla licet de te charta loquatur, erit.

ELEGIA III

IN LIBELLOS CATULLI, TIBULLI ET PROPERTII.

E3_3 v.1 Intemerata vides linguae monumenta Latinae,
 2 delicias dominae, lautitiasque togae.
 3 Scilicet hic omne est, colles audire Quirini
 4 molle vel argutum quod potuere prius.
 5 Hic et Pompeia spatiaris serus in umbra,
 6 subque tuos oculos multa puella venit,
 7 laxa comam, religata comam, distincta capillum,
 8 culta, nigris oculis, crine decora nigro.
 9 Inter quas prima procedit Lesbia pompa,
 10 passeris interitu nunc quoque maesta sui.
 11 Totque tibi blando promittit basia vultu,
 12 lenis amatori quot dedit ante suo.
 13 Proxima progreditur lascivo Delia passu,
 14 felicem Nemesis quam prope radit humum.
 15 Fortunatae ambae, quarum sacra fama virebit,
 16 pectora dum vatium parvus aduret Amor.

17 Cynthia deinde potens oculis, jaculantibus ignem,
 18 subsequitur Coa mobilis in tunica.
 19 Haec domuit fortem, tactumque Cupidine nullo,
 20 et fastus spoliū celsa tuentis habet.
 21 Tu quoque, qui cernis, cave ne laedaris ab illa,
 22 spirat adhuc flammās, et sua tela gerit.

ELEGIA IV

AD JOANNEM DANTISCUM EPISCOPUM ET POETAM.

E3_4 v.1 Regis honos venerande pii, cui dulce sonantum
 2 barbitos argutis tinnit in auriculis,
 3 cujus temporibus et laurus et infula certant,
 4 haec premat ut sacras, et premat illa comas !
 5 Sit tibi vita diu, nec te, Dantisce, malignis
 6 involvat tenebris illa nec illa dies.
 7 Inviolata tuos extendat lama labores,
 8 atque alia, atque alia in saecula serpat anus.
 9 Fragmina qui pius et cineres legis exstinctorum,
 10 corpora de tumulis et rediviva vocas.
 11 Per te Mercurium Scaldis post fata canentem
 12 audiet, attonitas et revocabit aquas.
 13 Per te Mercurium noscet, notumque loquetur,
 14 quaeque riget cano pallida turba gelu,
 15 quaeque trahit nigrum vicino sole colorem,
 16 quaeque poli tepida sub regione jacet.
 17 Vive diu, Praesul venerande, et vive suave,
 18 inque levem flatum cum tenuatus eris,
 19 ipse tibi Phoenix iteratae tempora vitae
 20 produc magnanima mente canore pio.

ELEGIA V

IN REDITUM ERASMI ROTERODAMI AD BELGAS, SED FALSO NUNTIATUM.

E3_5 v.1 Ad patrios fines venit grandaevus Erasmus,
 2 venit amor recti, venit et ipsa fides ;
 3 venerunt Charites ; et juncta Sororibus octo
 4 floribus instravit Calliopea viam.
 5 Dicite, quae primum sacro pede contigit arva ?
 6 Perpetuo laurus illa hederasque ferant.
 7 Dicite quo primum clausit vestigia vallo ?
 8 Semper honoratus sit locus ille mihi.
 9 Sive viam terris carpsit, seu flumine curvo
 10 vexit odoratum cymba beata senem,
 11 et nullo intactae laedantur vomere terrae,
 12 et semper nitido gurgite flumen eat,
 13 sole nec arescat, gelidae neque sidere brumae
 14 aspera concretas ungula pulset aquas.
 15 O, tanti quae terra viri cunabula servas,
 16 debita Dis magnis cum prece thura refer !
 17 Et pete, qui venit vestris ne cedat ab oris,
 18 ad caeli donec sidera serus eat :

19 ut, cunis quae laeta sacris per saecla superbis,
 20 accedat titulis nobilis urna tuis,
 21 ad quam longinquus toties lacrimabitur hospes,
 22 inspargens tenera clara sepulcra rosa ;
 23 et dicet : "Felix quae talem terra tulisti !
 24 Tu mihi vel magno non minor es Latio."

ELEGIA VI

VER

E3_6 v.1 En modo post imbresque vagos, gelidasque pruinas,
 2 permutat sedes aspera bruma suas,
 3 jamque novo Antipodum perstringit frigore gentes,
 4 et vehitur Borea per nova regna gravi.
 5 Interea niveis adventant tempora pennis,
 6 illa, quibus veniunt dulcia nulla magis :
 7 tempora, quae Veris nomen sortita beati,
 8 jure sibi primum promeruerunt locum.
 9 Jam libet umbrosa recubare sub arbore lentum,
 10 rauca ubi perpetuis unda susurrat aquis,
 11 et canere auriti stupeant quae carmina Fauni,
 12 carmina, declives quae remorentur aquas.
 13 Aut tumidos magni versus recitare Maronis,
 14 carmina Pindarici vel numerosa senis,
 15 vel legere, infestas qui Caesaris intonat iras,
 16 et deflet Magni colla resecta sui ;
 17 cernere vel teneris quae det praecepta puellis,
 18 quaeque viris, media dignus in urbe mori,
 19 quem Puero molli voluit Venus esse magistrum,
 20 Naso, Tomitana non tumulandus humo,
 21 vel quae lascivi dat Musa jocosa Catulli ;
 22 dicere vel numeros, culte Tibulle, tuos,
 23 aut audire suos recinentem molliter ignes,
 24 versibus a cujus Cynthia nomen habet ;
 25 et quoscumque alios Musae docuere canorae
 26 dicere, quod mentes anxietate levet.
 27 Jam libet et curvos inflectere viribus arcus,
 28 certaue in oppositum figere tela scopum.
 29 Jam campis errare libet florentibus, et per
 30 aeris incertas spargere tela vias.
 31 In nova jam nivei mittuntur pascua tauri ;
 32 lanigeri saliunt per nova prata greges.
 33 Nocturnumque gelu jam matutinus Apollo
 34 ridet, et in liquidas omne resolvit aquas.
 35 Jamque focum agricolae fumosaue tecta relinquunt,
 36 rusticaue in tepido gramine turba jacet.
 37 Arboribus miti Zephyrus jam flamine reddit,
 38 praeripuit Boreas quas violentus, opes.
 39 Et modo quae jacuit rigidis obducta pruinis
 40 terra, nimis vultu conspicienda fero,
 41 jam vario herbarum et florum depicta colore,
 42 vicinum late complet odore locum.
 43 Jam, tremulus multo qui sedit tempore, passer
 44 gaudet deliciis incubuisse novis.

45 Jamque revecta suis rostrata ciconia ventis,
 46 hospitis antiqui culmina nota petit.
 47 Desertosque lares peregrina revisit hirundo,
 48 prima tepescentes advehit illa dies.
 49 Quaeque diu gelidae siluit per tempora brumae,
 50 integrat dulces jam philomela modos.
 51 Et tu, sturne loquax, cunctas imitate volucres,
 52 uno quam varios reddis ab ore sonos !
 53 Denique tam placidis passim adspirantibus auris,
 54 adsumunt habitus cuncta refecta novos.
 55 Nimirum talis tenui spirare susurro
 56 semper in Elysiis creditur aura locis.
 57 O fortunatas tali sub tempore terras,
 58 tempore, quo nullum laetius annus habet,
 59 si non, quisquis erat, quondam voluisset iniquus
 60 gaudia tam magnis haec temerare malis.
 61 Nomen enim, factumque nocens utcumque tacebo,
 62 dummodo devoto carmina dira canam ;
 63 carmina, quae saevis dent praemia consona factis,
 64 quae moveant magnos, ter repetita, Deos.
 65 Di ! facite Elysiis procul ut distractus ab arvis
 66 incolat aeternos tristia regna dies.
 67 Atque illic siccamque sitim ferat usque famemque,
 68 et capiat sortem, Tantale prisce, tuam,
 69 tuque satur sedeas, poma ille fugacia captet,
 70 et captet liquidas, nec potiatur, aquas.
 71 Aut epulis potius multis ante ora paratis,
 72 non ausit vetitas vel tetigisse dapes.
 73 Quin mox illa simul Furiarum prima recumbens
 74 surgat, et ultricem tendat in ora facem.
 75 Tandem Erysichtonia rabie compulsus edendi,
 76 dilaceret manes, si queat, ipse suos ;
 77 sic tamen, ut nequeat sibi mortem inferre secundam,
 78 nec finem tantis imposuisse malis.
 79 At nos interea picti florentia veris
 80 tempora gaudentes transiliisse juvet.

ELEGIA VII

AD HIERONIMUM MONTIUM MEDIOLANENSEM,
 PRO ACCEPTIS AB EO EPITAPHIIS AC ELEGIIS QUIBUSDAM.

SOMNIUM.

E3_7 v.1 Fessus eram, et sensi gravioris taedia curae ;
 2 obtulit ante oculos se Dea bina meos.
 3 Altera, lugubrem praetendens maesta cupressum,
 4 scalpebat memores in cava busta notas.
 5 Altera fragrabat myrti genialis odore :
 6 sancta Venus ! Quanto clauda decore fuit !
 7 Utraque visa mihi prius, utraque culta libenter,
 8 et fuerant requies pectoris una mei.
 9 Rorantis sed enim species divina capilli
 10 diffusique sinus, purpureaeque genae,
 11 paene mihi abstulerant vultus discrimina noti,

12 cum subito tales reddidit una sonos.
 13 Imparibus tibi nota modis Elegeia pridem,
 14 ebria cum caneres lumina mollis herae,
 15 quaeque tuas curas, et quae tua gaudia novi,
 16 adsum, ait ; ornatu ne moveare novo.
 17 Virginibus Latiis crines ita volvere mos est,
 18 illis et tenues aura movet tunicas ;
 19 illis et teretes distinguit purpura malas,
 20 multus et arguto gutture spirat odor.
 21 Adsumus Italia, tales nos terra remittit
 22 aurea, quae nobis patria sola manet ;
 23 quae cineres mutos Vatum venerata priorum,
 24 Quos fovit gremio daedala Roma suo,
 25 parturit usque novos, et jura tuetur avita :
 26 qualis erat, caeli qui peragravit iter,
 27 mobilium decreta canens immota rotarum,
 28 Pontanus, cujus laudibus aura sonat ;
 29 Pontanus, puerum docui quem prima sonare
 30 alitis Idalii vincula, tela, faces.
 31 Quales Strozigenae, laus et duo sidera gentis,
 32 ille decus nostri, vel decus ille chori ;
 33 ille pharetrati vel fama Cupidinis ille,
 34 quorum per populos nomina juncta volant.
 35 Quid referam Graia genitum de stirpe Marullum
 36 aptantem Latiis Dorica sacra modis ?
 37 Quid Bembi, magnique Vidae quid nomen, et Acti ?
 38 Et quorum titulos nulla recondet humus ?
 39 Alciatumque meum, patriis qui tractus ab oris,
 40 alteriusque Deae sacra verenda colens,
 41 non tamen illarum vestigia movit ab hortis,
 42 nascentem placidis quae rapuere oculis ;
 43 qui, docta cum gente sua, facit, ut sit et ista
 44 urbs Biturix nostrae non aliena viae.
 45 Talia dicebat, vel talia dicere visa est,
 46 movit inaequales et Dea laeta pedes,
 47 cumque sorore sua murmur modulata canorum
 48 fugit, et ambrosio sparsit odore locum.
 49 At mihi subsiluit gravibus mens eruta curis,
 50 visus et ex illo purior ire dies.

ELEGIA VIII

DE PACE CAMERACI FACTA,
 INTER CAROLUM IMPERATOREM ET FRANCISCUM GALLIAE REGEM,
 ANNO MDXXIX.

E3_8 v.1 En rata magnanimo cum Caesare foedera Gallo,
 2 en per femineas foedera pacta manus.
 3 Dicite io, juvenes, et io bis dicite, cani,
 4 et pellat curas femina virque graves.
 5 I procul obscuras, Mars ferree, Ditis ad umbras,
 6 aufer et hinc furias, seditiose, tuas.
 7 Te, Bellona ferox, teque hinc, Discordia demens,
 8 proripe, et accensis Ira superba genis !
 9 Prodit ab astrifero tandem optatissima caelo

10 laureola placidas Pax redimita comas.
 11 Altera caeruleae ramum praetendit olivae,
 12 effundit fruges altera larga manus.
 13 Sunt comites, Superos quae quondam Astraea petivit,
 14 impia sanguinei bella perosa Dei,
 15 quamque licet justae germanam dicere Divae,
 16 (ah nimis arcani prodiga diva sui !)
 17 Incorrupta Fides, nivea circumdata palla ;
 18 et vos Pierii turba novena chori,
 19 quas inter medius radianti vertice Phoebus
 20 increpat argutae fila canora lyrae.
 21 Hos procul a tergo gressu titubante secutus,
 22 Mercurio caecus cum duce Plutus adest.
 23 Quae Puer, Idalii specularans e vertice montis,
 24 plaudit Amor pennis, et sua tela novat,
 25 desuetasque novo vires explorat in arcu,
 26 ipsa novam pharetram cui ligat alma Parens.
 27 Ergo age, pauperies cunctorum causa malorum,
 28 quae patrare jubes omnia, quaeque pati ;
 29 et suadens mala cuncta Fames, spinosaeque Cura,
 30 Luctusque et tenebris Mors fera cincta nigris,
 31 ite per extremas gentes, atque ite per undas,
 32 nulla ubi quam rabidis sint loca trita feris.
 33 At vos in falces gladii nunc ite recurvas,
 34 atque aciem in flavas vertite frugis opes.
 35 Quique prius rigidas clypeus decusserat hastas,
 36 nunc habilis paleas ventilet ille leves.
 37 Et modo quae pressit fugientia lancea terga
 38 scindat frugiferam vomer aduncus humum.
 39 Vos qui bella prius, juvenes, aetate virentes,
 40 gessistis cruda sanguinolenta manu,
 41 pro dura galea roseis ornate corollis
 42 tempora, proque tubis sumite plectra manu.
 43 Bellaque lascivis nocturna movete puellis,
 44 figite et optato vulnera grata loco.
 45 Signentur memori felicia tempora versu,
 46 tempora solemnes inter habenda dies :
 47 "Lux simul ac felix Augusti quinta refulsit,
 48 prodiit et populis Pax bona longa tulit."

ELEGIA IX

IN MORBO ANDREAE ALCIATI SCRIPTA.

E3_9 v.1 Sic est : humanae legem transcendere sortis
 2 fata vetant omnes, caelivagaeque rotae ;
 3 consortemque pati Divum gens invida non vult,
 4 atque viros gemina dejicit arte polo,
 5 debilibus morbis, et morbis morte propinqua,
 6 cui Nox et fuscas stat Sopor ante genas.
 7 Alciatus languet : quid nunc juvat omnia scire,
 8 et fama populos ire per et maria,
 9 febris in augusto quem versat pallida lecto ?
 10 Diva, sacrum Musis laedere parce caput.
 11 Tunc ego te dicam posuisse cubilia caelo,

12 semper ubi niveo semita lacte fluit,
 13 non Stygias inter Furias in valle profunda
 14 degere, qua Bello stat domus atque Fami.
 15 Et tibi votivas persolvam carmine laudes :
 16 tu modo de sancto limine tolle pedem.
 17 Sic tibi nec macies, nec sit tibi pallor in ore,
 18 siccaque profusa labra rigeris aqua.

ELEGIA X

VALEDICIT AMICIS IN HISPANIAM PROPECTURUS E BELGICA.

E3_10 v.1 Hei mihi, curarum cur me tam lenta fatigant
 2 pondera ? Mensque suo victa dolore jacet ?
 3 Anne, quod extremas fato propellor in oras,
 4 aurea qua flavi splendet arena Tagi,
 5 visurus populos quos Sol vicinus adurit,
 6 dum parat occiduas amne lavare rotas ?
 7 At qui tunc alacer soleo Vegetusque videri,
 8 esset in adspectu cum via longa meo.
 9 Libera nec curis umquam magis otia duco,
 10 quam cum dura premo terga fugacis equi.
 11 Nec mihi formosis injecit vincla lacertis,
 12 pendet et a collo nulla puella meo,
 13 quae mihi blanditias et verba minantia dicat,
 14 ominaque in nostrum tristia fingat iter,
 15 quae mihi cum lacrimis convicia fundat eunti.
 16 Asperet et magnos in mea damna Deos.
 17 Talis nulla meis insedit cura medullis,
 18 et tamen, heu ! Quantus pectora languor habet !
 19 Di, nostri tutela, Lares, et numina ripae,
 20 quam curvus flava Delus inundat aqua !
 21 Tuque, Geni, tu, sancte Geni praenobilis urbis
 22 o quae sera meos accipiat cineres,
 23 irrita sint, precor, haec animi praesagia maesti,
 24 vecta tepescenti per freta summa noto !
 25 Et mihi quas doleam natas exponite causas,
 26 ne tuba venturi sit dolor iste mali.
 27 Sic ego : muscoso genitor sic Delus ab antro,
 28 intextus placidas fronde fluente comas.
 29 "Quot pisces vada nostra colunt, quot gramina ripis
 30 mollia nexilibus luxuriant foliis,
 31 tot tibi sunt causae, Juvenis, ne quaere, doloris,
 32 ah, nimis in curas ingeniose tuas !
 33 Sacram urbem Veneri, Phoeboque patrique Lyaeo
 34 linquis, et ignotum curris in exilium,
 35 ut videas alio populos a sidere tostos,
 36 et repetas votis multa relictata tuis ;
 37 suspires matremque piam fratresque suaves,
 38 et germanarum pectora cara trium,
 39 et longe ante alios dulcem de fratribus unum,
 40 pars sine quo vitae non iit ulla tuae.
 41 Adde tot unanimi junctos tibi corde sodales,
 42 adde et onoratos tot tibi jure viros,
 43 quos inter primo Craneveldius ordine pro te

44 votis aeternos sollicitat superos.
 45 Proximus insequitur patrio Mulardus amore,
 46 antiquaque colens teque tuosque fide.
 47 Haec igitur linques, et te mirare dolentem,
 48 curque injussa tuo lumine gutta cadat ?
 49 Desine venturis maerorem adscribere fatis,
 50 par esse instanti non valet ille malo."
 51 Dixerat ; et cum voce caput depressit in undam,
 52 raraque turbatae signa reliquit aquae.
 53 Omne quo gaudens sensi mitescere curas,
 54 et mutata novus venit in ora color.
 55 At vos jucundi, carissima turba, sodales,
 56 mens quibus a nobis non aliena fuit ;
 57 quique meos lusus et qui mea seria nosti
 58 cultor Apollinei, Petre jocose, chori,
 59 moribus et niveis cultissime Carole, quorum
 60 arguet immemorem me neque summa dies,
 61 vivite felices, dum me tenet ultima tellus,
 62 vivite seu vivam, vivite seu moriar.

ELEGIA XI

PATRIAE DESIDERIUM.

E3_11 v.1 Arragonum montes, excoctaque gypsa calore,
 2 arvaque nec Baccho cognita, nec Cereri,
 3 nullus ubi trepidantis aquae confinia circum
 4 frigerat humidulo gramine caespes humum,
 5 aura ubi Phoebeas contra flans irrita flammis
 6 ipsa calet, notas conduplicatque faces.
 7 Rara comis ubi luxuriat frondentibus arbor,
 8 rara stat artificii marmore fulta domus.
 9 Sed miser excisis in rupibus incola vivit,
 10 et crescit toto nil nisi spina solo,
 11 et paucae ficus, et non hic grata Minervae
 12 arida liventi languet oliva coma.
 13 Quando erit, ut, vestris liber de finibus, arva
 14 et tua flava Ceres, et tua, Bacche, petam ?
 15 Multus ubi trepidantis aquae confinia circum
 16 frigerat humidulo gramine caespes humum ;
 17 aura ubi Phoebeos mitissima temperat ignes,
 18 demulcens flabris aera frigidulis ?
 19 Densa comis ubi luxuriat frondentibus arbor,
 20 multa stat artificii marmore fulta domus ?
 21 Tunc ego procumbens myrti genialis in umbra,
 22 calculus argutas qua strepit inter aquas,
 23 carmen diva tibi gratus Fortuna dicabo,
 24 quod trahat agricolas ad loca blanda Deos.

ELEGIA XII

IN CAESAREAM AUGUSTAM URBEM ARRAGONIAE.

E3_12 v.1 Nobile ab Augusto nomen cui Caesare mansit,
 2 urbs vetus, heroum quam posuere manus !
 3 En tibi victrices undarum porrigit undas
 4 maximus Hesperias inter Iberus aquas.
 5 Te dominam veneratur, et haec tua moenia semper
 6 stare jubet ripa, dum fluet ipse, sua.
 7 Limina regificis surgunt tibi mille columnis,
 8 nubilaque aeriis turribus alta quatis.
 9 Te blandis, te molliculis Cytherea puellis
 10 en beat, Augusto proque nepote colit.
 11 Hei mihi, cur nutris pullas lacrimosa cupressus ?
 12 Grata magis Phoebo non satis arbor erat ?
 13 Serta dares ut laeta tuo victricia regi,
 14 qui tibi barbarico victor ab hoste redit.
 15 Rex idem, Caesarque idem, mitissimus idem,
 16 qualis ab Augusti non fuit imperio.

ELEGIA XIII

REVERENDISSIMUM CARDINALEM TOLETANUM, ITER FACIENTEM COMPOSTELLAM.

E3_13 v.1 Capripedes Satyri, quibus est tutela virorum,
 2 longa per externos quos via jactat agros,
 3 facundo soboles non infitianda parenti,
 4 cui micat in flavis aurea penna comis.
 5 Seu nemus argutum, seu vos juga montis adorant,
 6 sive susurriferis flumen arundinibus :
 7 dicite, num vestras equitatum duxit in umbras,
 8 num sacer ad vestras constitit hospes aquas ;
 9 ille, cui Latio circum velata galero
 10 candescunt leni tempora canitie,
 11 qui regit aequatis Hispanum legibus orbem,
 12 otia pacatis festa parans populis,
 13 praesule quo celsi spirat nunc ara Toleti
 14 suavius, et fumo dexteriore calet.
 15 Vos iterum Satyri, mixti levibus Satyriscis,
 16 et nemorum, Satyris praeda cupita, Deae !
 17 Ipsum ego si quondam per verna crepuscula vidi
 18 Pana deum, sociis unicus e pueris,
 19 cum teneri patriis discursarem in hortis,
 20 Cypridis ad lucum qua viret Haga mea,
 21 sedulus et seras inflaret quisque cicutas,
 22 et quateret parva tympana parva manu ;
 23 si puerum primo afflastis me numine vatis,
 24 ut canerem silvas, flumina, gramen, aves,
 25 vosque meo capiti gestamina prima dedistis,
 26 gratior et lauro tunc mihi pinus erat :
 27 dicite, quo vultu, quonam fuit ille colore ?
 28 Ardores capiti num nocuere sacro ?
 29 Quid ? rabiosa Canis, Nemeaeique ira Leonis
 30 nubila quae radiis opposuere suis ?
 31 Cynthus insano furiatum sidere currum

32 carmine quo domuit, quave liquoris ope ?
 33 Ardentemne globum liquidi tulit orbita lactis ?
 34 fluctus an excelsi stellifer Eridani ?
 35 Qui dominum montes, quae sunt arbusta secuta ?
 36 Adblandita levis quae fuit aura seni,
 37 unius a facie fumosum pulveris imbrem
 38 discutiens udis roscida flaminibus ?
 39 Quaeque catervatim volucres mulsero vagantem,
 40 surgeret Eoo lux ubi flava toro ?
 41 Quotque locis fontem venienti vena reclusit,
 42 quam prius in tenebris parca premebat humus ?
 43 Quos cecinere modos, quas ductavere choreas,
 44 obvia fontanas numina propter aquas ?
 45 haec ego vidissem vestigia laetus adorans
 46 mitis heri, magnae pars quotacumque domus.
 47 Narrassem cupidis et multa reversus amicis,
 48 et testata meis plura forem numeris,
 49 importuna meis ni febris in ossibus haerens
 50 vinxisset tristi compede vota mea.
 51 Tecum magne tamen Princeps securus abissem :
 52 semideum comites non gravat ira Deum.

ELEGIA XIV

AD JOANNEM STRATIUM.

E3_14 v.1 Quo tam praecipiti rapitur mihi Stratius aura,
 2 et tantum visam deserit Hesperiam ?
 3 Barbara num tellus gentique aliena Latinae
 4 facundum Ausonio non capit ore virum ?
 5 Quo fugis, ah demens ! mediis Aquilonibus anni ?
 6 Omnis cum glacie mortua torpet aqua ?
 7 Flumina non metuis nivibus crescentia, quaeque
 8 sparsa Pyrenaeis nix jacet alta jugis ?
 9 Nonne times gelidum Capricorni sidere caelum ?
 10 Quasque puer largas Phryx modo fundet aquas ?
 11 Nymphae, quas Tagus, et magnus veneratur Iberus,
 12 quas Cinga, et Sicoris ripa vetusta colit,
 13 cogite torrentes laxis de fontibus amnes,
 14 quadrupedem praeceps qua feret ille gradum.
 15 Perplexis Dryades fugitivum inducite silvis,
 16 nescius ut repetat, qua fugiebat, iter ;
 17 eque hedera nexis religatum brachia nodis
 18 erronem nostris sistite liminibus.
 19 Sed cur dilecti remoramur vota sodalis,
 20 quem vocat ad patrios Belgica terra lares ?
 21 Pro cujus reditu moriens Antonia curis
 22 sollicitat multis numina cum lacrimis ;
 23 praecipue hortorum, custos membrose, virentum
 24 suspendit peni grandia sarta tuo ;
 25 ne quid ab Hispanis sua mentula laesa puellis
 26 aridior redeat languidiorque domum.
 27 Haec, tot culta procis quot Penelopen adamabant,
 28 unum conqueritur tristis abesse tamen,
 29 sub cujus tunica quiddam nervosius esse

30 credit, quale nihil grex popularis habet.
 31 Ergo felici cursu patriamque domumque,
 32 et dominam et dominae basia blanda pete.
 33 Mox ad Sarmatiae proceres, gentemque virilem,
 34 quam penes est unam prisca tenaxque fides,
 35 Gorcanumque tuum contendas alite fausto,
 36 maximus ille armis, maximus ille toga ;
 37 cujus et Hesperias migravit fama per oras,
 38 o quanta est virtus buccina lausque sibi !
 39 Et quantum est coluisse viros, quorum ore deserto
 40 saepe patet virtus, quae latitura fuit !
 41 Quorum de Borea vox exauditur ad Austrum,
 42 transit et Eoas Occiduasque domos,
 43 ignavoque rogo et tenebris nigrantis Averni
 44 educit celebres in nova saecla viros !
 45 Sic quoque Gorcanus (namque hoc te teste meretur)
 46 sive meo vivet munere, sive tuo.
 47 Ille Scythas domat acre genus, quique omine diro
 48 nomen Tartareo de Phlegetonte gerunt.
 49 Ille regit laetos populos moderamine miti,
 50 permittitque suis plurima, pauca sibi.
 51 Hunc pete, nam te jam desiderat, et tibi pridem
 52 dolia quadrimo servat onusta mero.
 53 Jam non te stupidae teneant Aquilonibus aerae,
 54 sidus et hiberni sit tibi mite Capri :
 55 Dardanius clausas urnas compescat ephebus,
 56 pacatumque tibi reddat et ipse Jovem.
 57 Non tibi, non obstent fusi de montibus amnes,
 58 nec Dryadum amplexu te liget ulla soror.
 59 Ast ego servabo vultus referentia caros,
 60 nata sub articulis vivida signa meis,
 61 in quibus eximio spirabit Stratius ore,
 62 artis Phidiacae dum remanebit honos.
 63 Ille mihi varia fingetur saepe figura,
 64 nam modo candebit marmore de Pario ;
 65 et modo flavebit specioso dives in auro ;
 66 saepe oculos pascet cerea forma meos.
 67 Et jam Sarmatica, patria jam veste nitebit,
 68 et jam Romanae clarus honore togae ;
 69 et laurus frontem modo vestiet, et modo myrtus ;
 70 et modo caerulea Pallade cinctus erit.
 71 Sic ego me vultu solans absentis amici
 72 implebo sanctae munus amicitiae,
 73 donec te nobis felicior hora reducet,
 74 vel tibi reddemur candidiore die.

ELEGIA XV

IN HISTORIAM DE REBUS A THESEO GESTIS, DUORUMQUE RIVALIUM CERTAMINE,
 GALLICIS NUMERIS AB ILLUSTRIS QUADAM MATRONA SUAVISSIME CONSCRIPTAM.

E3_15 v.1 Ausa sacram tentare lyram prius unica Sappho
 2 prima viris fastum tollere digna fuit,
 3 inter laurigeras sedem sortita Sorores,
 4 lucida Pegasei qua fluit unda pedis.

5 Et tamen illa leves tantum cantavit amores,
 6 femineae tenerum debilitatis opus.
 7 At modo quae nata est saeculis labentibus orbi
 8 Cyprida cum domino bellipotente canit,
 9 inter Francigenas praenobilis heroinas ;
 10 quam leget, et Latias Gallia discet opes,
 11 et quaecumque latent Argivis tecta ruinis,
 12 quoque Dei miseros tela volucris agant,
 13 fortunaeque vices et ineluctabile fatum,
 14 scissaque veloci stamina pulla manu
 15 victoris juvenis, qui uxore potitus amica
 16 ivit ad infernas non satiatus aquas,
 17 et sua devicto concessit jura sodali,
 18 in quem sanguineas strinxerat ante manus.
 19 At tu, quae patria tam molliter omnia lingua
 20 haec canis, aeternum docta per ora vola !
 21 Et quoniam tellus quoque te tenet immature,
 22 nec data sunt longae laureaserta comae,
 23 in tumulo saltem Phoebi tibi germinet arbor.
 24 Cujus in umbrosis stans Philomela comis,
 25 dum lacrimatur Ityn longis arguta querelis,
 26 te quoque cum caro funere saepe gemat.

ELEGIA XVI

AD HIERONYMUM SURITAM, CAESARAUGUSTANUM, POETAM.

E3_16 v.1 Unica nata meis requies, Hieronyme, curis
 2 qui facis Hesperiae jam mihi dulce solum,
 3 cujus in auriculis argutis Julia gaudet
 4 laudatos tenera voce sonare modos.
 5 Cuique mea ante alios non dedignata Neaera est
 6 humida adhuc labris basia ferre meis.
 7 Quae te cumque mihi lux obtulit, optime rerum,
 8 inter solemnes haec mihi semper erit.
 9 Haec mihi cum Maii celebratur saepe calendis,
 10 credo equidem cari mensis et ipsa fuit.
 11 Sed quaecumque fuit, mihi te donavit amicum,
 12 quo mihi non alius carior ante fuit.
 13 Tu mihi labentes solito brevioribus horis
 14 ire jubes Phoebocandidiore dies.
 15 Quam juvat antiquos pariter cantare poetas,
 16 magna quibus veteres Roma tuetur opes.
 17 Cumque pio Aenea Laurentem quaerere Tibrim,
 18 securos, Turno quam paret ille necem.
 19 Aut legere infestas qui Caesaris intonat iras,
 20 et deflet Magni colla resecta ducis.
 21 Quin et Claudiani doctas evolvere chartas :
 22 hic reges etiam, nec minus arma canit ;
 23 et raptam Siculo Cereris de litore natam,
 24 quam nunc et Manes et Stygis unda colit.
 25 Dein vatis varias per silvas Parthenopaei
 26 ire Amphioniae moenia in alta lyrae ;
 27 et fera Thebanos armare in proelia fratres,
 28 et procul e tuto bella videre loco

29 mox bello fessas in blanda reducere Musas
 30 otia, Pegasei qua fluit unda pedis.
 31 Adsunt, et dominas per odora vireta sequuntur
 32 Lesbique, et Tyrios culta Corinna sinus ;
 33 Deliaque et Nemesis, tortoque superba capillo
 34 primus amor Latii Cynthia Callimachi.
 35 Quam multa interea subeunt jucunda relatu !
 36 Una mihi tecum quot parit hora jocos !
 37 Seu varios hominum mores ridemus, et artes,
 38 seu Complutensis Grammatici cerebrum.
 39 Di mihi dent tecum, juvenis lectissime, longum
 40 degere, et insulsos ludere Grammaticos.

ELEGIA XVII

 DE STATUIS ET SEPULCRIS IN TEMPLO URBIS S. DIONYSII SPECTANDIS
 PROPE LUTETIAM.

E3_17 v.1 Proxima Parisiae jacet urbs Dionysia valli,
 2 heroum tumulis religiosa virum.
 3 Hic monumenta tenent longaevis inclyta saxis
 4 nomina, quae nuper Franca timebat humus,
 5 sub quorum titulis bellum subiere tot urbes,
 6 ad quorum nutus tot voluere mori.
 7 Et dispersa jacent fluidoque natantia tabo
 8 corpora, purpureo quae jacuere toro ;
 9 aurum quae toties pede calcavere superbo ;
 10 jamque viatorem marmore clausa rogant,
 11 regales precibus juvet ut popularibus umbras ;
 12 depressosque pia voce levet cineres.
 13 Haec rerum series, et lex variabilis aevi est :
 14 cuncta alit, ut rapiat cuncta, maligna dies.
 15 Saepe tamen fati raptum solatur acerbum
 16 littera in antiquis garrula marmoribus,
 17 effigiesque virum saxo servata vel aere,
 18 quae vivat longos post sua fata dies.
 19 Multaque venturis de se non muta loquatur,
 20 ablatae speciem mentis in ore gerens.
 21 Felices artes rabiem quae vincitis Orci,
 22 atque aliquid fati demitis imperio,
 23 vos ego saepe meis, vos versibus exornabo,
 24 et dicam Aoniis cantibus esse pares.
 25 Raptus ad Elysias annis juvenilibus auras
 26 Carolus, hic molli spirat in aere tamen,
 27 longa senescentis visurus saecula mundi,
 28 cui sua lugubri carmine gesta canit,
 29 Britonas ut fortes victrici fuderit hasta,
 30 ausus in hostiles se glomerare manus ;
 31 utque trahens gelidas idem sua signa per Alpes,
 32 terror concussae venerit Ausoniae,
 33 multaque quae vultus docet in vi vente metallo,
 34 pugnacem referens cum pietate manum.
 35 Artis opus tantae superat sublime sepulcrum
 36 marmore de Pario quod Ludovicus habet ;
 37 hic, quem supremum sepelivit Gallia regem,

38 expertem dominae sortis utramque vicem.
 39 Hoc ubi conspexi, stupui, et primaeva vetustas
 40 visa suas artes est revocare mihi ;
 41 Phidiasque manus mecum meditabar, equosque
 42 spirantes longum, colle, Quirine, tuo,
 43 quique diu artificem Romam decoravit, et altis
 44 aurea porticibus carmina Phoebus hiat.
 45 Trojanumque senem, quem nunc quoque Palladis ira
 46 anguibus implicitum post sua fata necat.
 47 Cedite Pyramides, et pendula Mausolea,
 48 dicebam, et quidquid Graecia vidit opum.
 49 Quattuor extremos servabant numina fines :
 50 e quibus infracta mente, manuque valens,
 51 nervorum reliquas vincit compage Sorores,
 52 dira potens fati vincere sola vices,
 53 et conferre manum Sorti violenter utrique,
 54 neu premat haec animum, neu levet illa, cavens.
 55 Stabat Diva sagax, terrasque tenebat et astra,
 56 docta Deos, homines, instabilemque rotam.
 57 Omnia quae Phoebus per longa volumina vidit
 58 arduus, in longa conspicietque via.
 59 Stabat et infrenes animi quae temperat aestus,
 60 contemptrix flammae Diva Cupidineae,
 61 palluit e lympha, credo, qua diluit uvas,
 62 plenaque virgineae simplicitatis erat.
 63 Juncta chorum sancti claudebat quarta senatus,
 64 justa bonis librans praemia, justa malis.
 65 Illa quidem, caelum prius ausa relinquere, numquam
 66 marmoris in duro cortice tuta latet.
 67 At circum statuis cinxere minoribus urnam
 68 privata culti religione Dei,
 69 nostra quibus pietas aras et templa dicavit,
 70 quod bene pro Domino non renuere mori.
 71 Planitiem vero praestantia regis obibant
 72 gesta, Dei durum bellipotentis opus,
 73 arte nitens mira, quali Vulcania dona
 74 lumina Dardanii detinuere ducis.
 75 Parte alia trepidae fugiunt sine lege catervae,
 76 parte alia densos curritur in gladios.
 77 Hic torquata trahunt serviles colla catenas,
 78 hic rapitur maestus funus in exsequias.
 79 Dejiciunt alibi telorum nubila nimbos,
 80 et cadit ex ipso mors numerosa polo.
 81 Candida diffusas stillantia marmora guttas
 82 tot flent irriguis saepe neces lacrimis.
 83 Vertice sublimi, genibus subnixus utrisque,
 84 ora gerens senio ter veneranda gravi,
 85 ipse suos cineres rex despiciebat in urna,
 86 visus ad adstantes dicere : "Talis eram :
 87 excepere meos miserantia marmora vultus ;
 88 scilicet hanc praedam surripuere solo.
 89 Sensus abest, animaque carent spirantia saxa ;
 90 eripere hanc praedam non voluere polo."
 91 At consors regina tori, consorsque sepulcri,
 92 nunc quoque blanditias dicere visa seni,
 93 conjugis a laeva paulum distracta sedebat,

94 si liceat, propius congregitura, reor.
 95 Invide, quid libuit divellere, sculptor, amantem ?
 96 Quantum erat, ut sineres oscula ferre viro ?
 97 In medio monumenti humilem sortita cavernam
 98 amborum leto corpora fusa jacent.
 99 Et tumuli quae viva virent in vertice saxa,
 100 arida jam morti succubere suae.
 101 Pendet laxa cutis, latebris clauduntur opacis
 102 lumina, rarescit triste capillitium :
 103 exiles nares, tenuataque crura manusque,
 104 quidquid et in vitam mors cariota potest,
 105 contulit in saxum rigidae manus aemula morti,
 106 fictaque stant uno Vitaque Morsque loco.
 107 Scilicet hoc certe in simulacro integra superbit,
 108 arsque peregrino non eget auxilio.
 109 Expallet marmor ; Mors hunc petit aegra colorem ;
 110 conticet ; exanimes dedidicere loqui.
 111 Marmora felici multum debentia caelo,
 112 marmora jam vitae reddita, jamque neci,
 113 qua vos nata manu, sic nos eludere dicam,
 114 sensibus ut credam vix satis ipse meis ?
 115 Nimirum digiti vos expoliare Latini ;
 116 taliam barbaricae non potuere manus.
 117 Vivite dum Cnidiae simulacrum fama Diones
 118 Praxitelis rarum sera loquetur opus.

ELEGIA XVIII

AD JOANNEM OTTINGERUM GERMANUM, POETAM.

E3_18 v.1 Sicne meas etiam colis, Ottingere, Camenas,
 2 carminis ut partem te juvet esse mei ?
 3 Et si forte suo jactat se Julia vate,
 4 tinnitum mutae quae dedit una fidi,
 5 non dubitas nostris Elegis committere nomen,
 6 carmine quod meruit nobiliore cani.
 7 Scilicet hoc vatis, quem protulit Hassia, magni
 8 Musa per heroes evehat alta pedes.
 9 Hoc Logus, hoc cantet qui non bene nomen ab ursa
 10 Velius arguto carmine notus habet.
 11 Nos, ut consuemus, numero ludamus inertii
 12 saepe pharetrati delicias pueri.
 13 Cantemusque genas dominae, cantemus ocellos
 14 labraque purpureis invidiosa rosis.
 15 Quaeque Deos possunt incendere mollia verba,
 16 multaque quae pretium dulce laboris habent ;
 17 non tamen interea possum reticescere, Divae,
 18 in me sinceri tot benefacta viri.
 19 Dicta sed haec vobis cupio vulgare per auras,
 20 ne tales animos nesciat ulla dies.
 21 Ille suas nuper peregrinum duxit in aedes,
 22 pocula spumantis apposuitque meri ;
 23 miscuit et Latio Lenaei munera Phoebos,
 24 carminis exhilarans corda lepore novi,
 25 doctus Teutonico quod misit ab orbe Sabinus,

26 dulce fluens, tenerum, mobile, molle sonans.
27 Pro quibus officiis ubi me nil reddere cernit,
28 abstinet officiis non tamen ille novis.
29 Quin et Erasmiacae carmen quoque lene senectae
30 exhibuit, Flaccus quale sonare solet.
31 Quale sua natum cupiant et in urbe Quirites,
32 quale canit tremulo gutture blandus olor.
33 Quorum me semper memorem fore, dicite Musae,
34 sive prememus humum, sive prememur humo.

ELEGIARUM LIBRI EXPLICIT FELICITER.